

~~Q/115~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-22.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

2. D. B. V.

VINDICIÆ ANNOTATIONUM IRENICARUM,

^{SIVE}
AMICA RESPONSIO

^{AD}
DISQUISITIONEM THEOLOGICAM
VIRI CLARISSIMI

JOH. JACOBI HOTTINGERI,
PROFESSORIS THEOLOGI TIGURINI,

^{De}
CONSOLATIONE EVANGELICA
IN TENTATIONIBUS,

NUM SOLIDIOR EX UNIVERSALI, AN EX PARTICULARI
GRATIA HAURIATUR?

^{Quam}
DEO CLEMENTER JUVANTE
P R A E S I D E

GODOFREDO HOFFMANNO,

SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
DUCALIS STIPENDII THEOL. SUPERATTENDENTE, FACULTATIS
THEOL. ET ECCLESIAE DECANO,

Die 26. 28. Maji MDCCXXIII.

Examini publico submitunt
RESPONDENTES

- M. JOHANNES CHRISTOPHORUS VOLZ, *Sindelfingensis.*
- M. PHILIPPUS DAVIDES FEHLEISEN, *Nürtingensis.*
- M. JOHANNES ADAMUS WÆCCERLIN, *Uracensis.*
- M. GEORGIUS FRIDERICUS SCHI. OTTERBECK, *Tubingensis.*

SS. Theologiae Studiosi in Ducali Stipendio.

TUBINGÆ, Literis HIOBI. FRANCKII.



M. D. C. C.

VINDICIAE
ANNOTATIONUM

IRINICARUM

AMICI RESPONSO

DISQUISITIONUM THEOLOGICARUM

JOH. JACOB. HOTTINGERI

PROFESSORIS THEOLOGICI

CONSOLATIONUM PANGELICARUM

IN TESTAMENTO

ET IN VITAE CURSIBUS

SCRIPTIS

DR. GOTTFR. HOFFMANNI

GODFRIDO HOFFMANNI

ET THEOLOGICO PANGELICO PUBL. ORDINARIO

IN VITAE CURSIBUS SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS

SCRIPTIS





I. N. F.

§. I.

Relacuit Viro Clarissimo, JO. JAC. HOTTINGERO, Professo-
ri Theologia Tigurino Celeberrimo, Annotationes nostras Irenicas ad Dissertationem ejus Irenicam de Veritatis & Charitatis amicissimo in Ecclesiâ Protestantium connubio sub examen modestum vocare, & hujus quidem initium facere à §. XI. p. 38. sqq. ubi diximus, TENTATOS ex doctrinâ & principiis Particularistarum nullo firmo solatio erigi posse. Hoc punctum, quod nec exiguum, nec postremum locum in Annotationibus nostris occupare ait V. D. præ cæteris ei dignum visum fuit, cui peculiarem Disquisitionem Theologicam opponeret, de Consolatione Evangelica in tentationibus: Num solidior ex universali, an ex particulari gratia hauriatur? Hanc inscriptionem cum primùm legerem, existimavi, (& existimabunt forsan & alii,) scopum V. Cl. in hac Disquisitione suâ hunc esse, ut ostendat, solidam quidem ex utraque doctrinâ consolationem pro tentatis hauriri posse, sed tamen solidiorem ex doctrina de gratiâ particulari, quæ Reformatorum est, quam ex doctrinâ Ecclesiæ nostræ Evangelico-Lutheranæ de gratia universali. Postquam autem ipsam disquisitionem perlegi, illicò deprehendi, comparationem

A

nem

nem istam, quando quaeritur; Vtra sit *solidior*? ex mente V. Cl. tantum esse *impropriam*, & totam illam disquisitionem huc tendere, quod consolatio, quae ex doctrinâ de gratiâ universali hauritur, minimè sit solida, & reipsa nulla; contra verò illa, quae ex doctrina de gratiâ particulari hauritur, quam maximè solida, imò longè solidissima. *Tantum enim p. 10. abesse ait, ut propositio: Christus pro omnibus mortuus est, liberet à scrupulis, ut potius hominem ad scrupulos proclivem obruat &c.* Et p. 11. verba Spanhemii probat, qui *DEI filiis & filiis Diaboli communia* (addit, amissibilia DEI dona) *solidum solatium nunquam præbere posse* ait. Denique p. 16. *fidem, quod Christus pro omnibus sit mortuus, nullam Panopliae Spiritualis partem constituere, & Reformatis militiam hanc suscipientibus non magis aptam videri scribit, quam Davidi ad duellum cum Goliatho se accingenti laxa illa & vasta Saulis lorica.* Hoc igitur vult V. D. quod statim in *Thef. 1. p. 2.* innuit:

Ei, qui salutis spem concipere gestiat, gratiam universalem non proponendam, sed fidei & respicientiae studium commendandum esse; idque ex hac ratione, quia id, quod non impedit, quo minus quis pereat, cujusmodi sit gratia universalis, certam gratiae DEI & salutis consequendae spem facere non possit: illud autem demum huic rei idoneum sit, quod cum salute conjunctissimum est, cujusmodi sunt fides & respicientia.

Cum verò subordinata haec sint, & optimè simul stare possint, non video, cur ea inter se committat V. D. & sibi invicem ita opponat, ut gratiam universalem non proponendam, sed fidei & respicientiae studium unice commendandum esse velit. Nobis utrumque potius conjungendum videtur, & quando res nobis est cum tentato, haesitante ac fluctuante circa fundamentum salutis suae, num Christus cum suo merito, & Gratia DEI in hoc merito fundata ad ipsum quoque pertineat? (Hoc enim quis negaverit, fundamentum fidei esse atque anchoram, cui omnis salutis spes innicitur?) Nos quidem existimamus, an-

te omnia universalitatem utriusque, gratiæ puta & meriti, ex verbo DEI asserendam; tùm verò & *Græ* fidei atque universum ordinem gratiæ inculcandum esse, quòd satisfactio quidem à Christo pro *omnibus* sic præstita, actu verò non nisi *credentibus* in eum proficit. Ita enim tentatus certus redditur, quòd satisfactio Christi ad ipsum quoque in individuo pertineat, adeoque nihil obstat, quo minus & ipse sanguinem Christi, tanquam pro se fufum, sibi fiducialiter appropriare & possit & debeat. Si verò à postremo incipias & solum studium fidei & resipiscentiæ urgeas, neglecto planè, imò negato illo præsupposito gratiæ universalis, tunc sanè tentato justa regerendi causa erit: objectum fidei salvificæ esse Christum cum suo merito & satisfactioe, præposterum adeoque esse, fidei officium inculcare illi, qui nescit ac dubitat, utrum beneficium apprehendendum à Deo ipsi sit destinatum, nec ne? Hunc scrupulum nisi prius Minister V. D. ei eximat, reliqua omnia in animo suo nullam efficaciam habere posse. Quod si, cum V. Cl. p. 9. Minister neget, *has esse Ministerii sibi concediti partes, ut Catechumenum hunc suum certum reddat, quòd & ipse sit in numero redemptorum;* quæso, quo jure ab eodem postulare poterit, ut lytrum redemptionis fide sibi applicet, de quo tamen non liquet, utrum & pro ipso sit solutum, nec ne? Nonne officium fidei in eo consistit, ut beneficium à DEO sibi oblatum & destinatum apprehendat: adeoque certitudinem intentionis & destinationis divinx utique supponit. Frustra Medicus diceret ægroto: Officium tuum est, ut hæc vel illâ medicinâ utaris, eamque tibi applices, nisi simul constet, quod ejus compos fieri possit, & quod pro ipso non minus ac pro aliis eodem malo laborantibus parata sit. Sed pergit V. D. & ait:

Eadem methodo uti Lutheranos de Unione sollicitos & agnoscere, quod etiam Reformati ex hoc principio (gratiæ scil. particularis) certitudinem salutis consequendæ possidere possint. Et ex æquiorum istorum numero, *ait*, est etiam ille verè & *Christianus & Irenicus,*

Autor der unvorgreiflichen Gedancken von der Vereinigung
 An. 1722. assâ voce asserens : Ein Reformirter kan mit einem
 Tentato und angefochtenen Menschen zurecht kommen, ohne daß
 er gratiam universalem zu behaupten Ursach hat ; idque pluribus
 deducit. Neque aded quibus fissura Zionis coalitio ferid curæ
 est, hic aliquod ejus impedimentum reperiunt. Secus videtur Cel.
 Hoffmanno.

Quis Autor ille sit, me quidem laret, neque de eo sum soli-
 citus; interim non diffiteor, quod mihi omninò *secus videatur*,
 & quod hætenus nondum persuasum habeam, *Reformatos soli-
 dâ consolatione tentatum erigere posse*, nisi ad gratiam tandem u-
 niversalem confugiant, & in *consolandis tristibus nobiscum lo-
 quantur*, quod eos facere ait Jo. Fabricius P. allegatus à V. Cl.
Dissert. Iren. de Connubio Veritatis &c. p. 54. Quia verò Au-
 torem istum Pseudonymum, & inter *equivocales* refert, & pro-
 verè *Christiano* atque *Irenico* habet Cl. Hottingerus, scire velim,
 num & ista V. D. palato sapiant, quæ in allegato Tractatu le-
 guntur §. LXXIII. p. 44. Es ist wohl gewiß, daß aus dieser Leh-
 re, da von denen Reformirten eine absolute und unbedingene Wahl zur
 Gnade, und Verwerffung zur Verdammniß behauptet, sodann auch
 eine allgemeine Gnade Gottes, ein allgemeines Verdienst Christi, und
 allgemeine Berufung zur Seeligkeit geläugnet, und dargegen bey die-
 sen allen nur eine Particularität und ein Rath=Schluß, der bloß auff ge-
 wisse Personen gerichtet seyn solle, gesetzt, endlich eine solche Bekeh-
 rungs=Gnade, der man nicht widerstehen könne, geglaubet wird, daß,
 sage ich, aus dieser Lehre gefährliche Folgen können gezogen werden, ist
 gewiß. Denn sollen diese Principia gelten, so müssen die Menschen in
 zweyerley Extrema verfallen ; Entweder sie werden rucklos und sicher :
 Denn sie machen eine verwegene præsumtion von ihrer Seeligkeit, und
 dencken, sind wir absolute zum Himmel versehen, sind wir in dem Stan-
 de, daß wir der Gnade nicht widerstehen können, und müssen wir noth-
 wendig selig werden : So mögen wir leben, wie wir wollen, es kan
 uns doch nicht fehlen. Sind wir absolut zur Verdammniß bestimmt,
 so hilft uns keine Gottseligkeit, und wir wollen es nach den Lüsten un-
 sers Herzens treiben, so lange wir können. Oder sie werden desperat
 und

und Kleinmüthig. Denn ist ein absolutes Decret, daß manche sollen verdammt werden, und daß der Heyland der Welt nicht vor alle, sondern nur vor allerley Leute gestorben ist, so haben sie keinen zuverläßigen Trost in der Aufsechtung/ sie werden ungewiß, sie fangen an zu zweiffeln, ob sie auch in der Zahl der Auserwählten sind, und sie können dencken, wer weiß, ob du zum Himmel versehen bist, Gott weiß es. Ist es nicht, und bist du nicht dazu prædestinirt, so magst du so fromm leben als du wilst, du wirst doch nicht in Himmel kommen, du wirst doch endlich aus der eingebildeten Gnade fallen und verdammt werden. Za wenn jemand hört, daß Gott nicht alle Menschen zur Seeligkeit versehen hat, und den Glauben gibt, wem Er will: So bringt sie dieses auch so gar entweder zu einer Gottslästerlichen Sicherheit, daß sie schließen, Gott ist der Ursprung der Sünde, und weil das Böse doch von Ihm selbst herkommt, so werden wir entschuldiget seyn: Oder zu einer Gottslästerlichen Verzweiffelung, daß sie dencken, Gott muß doch ein Tyranne und ein ungerechtes Wesen seyn, weil Er schlechterdings etlichen Leuten die Gnade zur Bekehrung gibt, andern nicht, und sie also bloß darum, weil Er es so haben will, ewig verdammet! Quæ ipsa tamen Autor ille, parum sibi constans, in sequentibus reformet, quando p. 134. ait: Man habe von der unbedingten Gnaden-Wahl keine Verzweiffelung, auch keine Sicherheit zu besörchten. Quæ, quâ ratione cum superioribus conciliari queant, non video; contradictoria enim, qualia hæc citra omne dubium sunt, simul vera esse non possunt. Quia vero V. Cl. in *Exercit. suâ irenicâ*, de *Momento dissensus Protestantium &c.* p. 3. me ipsum quoque *æquioribus* accenset, ne forte iudicii de me lati eum pœnitere queat, publicè hic & ingenuè profiteor, me tam durum atque rigidum non esse, ut cum *Christiano irenico* dicam: Sollen diese Principia gelten, so müssen die Menschen entweder in Sicherheit oder in Verzweiffelung fallen; Contrarium enim ipsa testatur experientia de illis, qui his ipsis principiis etiam pertinaciter adhærent: Sed nec ita tepidum, ut cum eodem in gratiam dissentientium staturam; Man habe von der unbedingten Gnaden-Wahl keines von beeden zu fürchten; Sed mediâ viâ incedo, & dogma istud ita comparatum esse sentio, ut pro diversa ani-

morum dispositione homines vel in securitatem, vel in desperationem præcipites agere possit, idque non per abusum aut per accidens, quo modo etiam sanctissima religionis Christiana dogmata ab ejusmodi carnis relis & mundi ludibriis immunia esse alibi rectè negat V. D. Sed per consequentias legitimas, & ex ipso illo dogmate prono alveo fluentes; Contra quas dum solenniter protestantur DD. Reformati, id quidem facile à nobis obtinent, ut consecraria illa perniciosa non ipsis quidem *errantibus*, sed tamen *errori* in se spectato tribuamus. Videamus autem, si placet, quomodo *Christianus* ille *Irenicus* assertionem suam posteriorem, quod scilicet Reformatus tentatum solida consolatione erigere possit, etiamsi gratiam universalem non admittat, *pluribus* l. c. *deducar*. Deductio verò ista, cujus mentionem facit V. D. constat his verbis immediatè sequentibus: Dann wolte man zu einem Tentato sprechen: Vor wen Christus gestorben ist, der wird selig; vor dich ist ja Christus gestorben, Ergo wirst du selig: So wäre die Propositio major falsch, weil Christus auch vor die gestorben, denen der Tod und die ewige Verdammniß zu theil wird. 2. Petr. II, 1. Drum darff ein Reformirter die Propositiones nur ein wenig versehen, und den Syllogismum, so einrichten: Wer da soll selig werden, vor den ist Christus gestorben. Du sollst selig werden. E. ist Christus vor dich gestorben. Auff diese Weise braucht der Major keines Beweises, und hat man hernach mit dem Minore zu thun. Ja ich wolte noch ein ander Principium sehen, welches noch viel bessere Dienste bey Angefochtenen thun würde. Man spreche so: Wer mit wahren bußfertigen Herzen an den Sohn Gottes glaubet, und diesen Glauben nicht einen todten Glauben, sondern mit Gottes-Furcht und heiligem Leben verbunden seyn lässet, der hat das ewige Leben, der hat Vergebung der Sünde, der hat Gottes Gnade, vor den ist Jesus Christus gestorben. Mit dir ist es so beschaffen, du glaubest mit bußfertigen Herzen &c. E. Item der Major kan aus Rom. X, 13. genommen werden: Wer den Nahmen des Herrn anrufen wird, soll selig werden. Du thust das. E. Ingleichem: Wer bekennet, Jesus sey der Sohn Gottes und der Welt Heyland, der ist in Gott und Gott in ihm: Du bekennest Jesum, &c. E.

Co

So stehet der Major allezeit auff gutem Fuß, und man sieht gleich, worauff es in Minore ankommen wird. Hæc ille. Jam, quod *primus* Syllogismum attinet, nemo nostratum ita argumentatur: Pro quo Christus mortuus est, is saluabitur; Novimus enim, hanc majorem ita universaliter conceptam esse falsam; Reformati autem eam pro verâ habent, & consequenter tentatus principii Reformatorum imbutus, in hoc Syllogismo admissâ Majore saltem in dubium vocaret Minorem propositionem, quæ supponit, quod in quæstione est, num scilicet, Christus pro ipso quoque sit mortuus, ita ut meritum ejus ad ipsum quoque ex intentione DEI pertineat, & consequenter per illud salvus fieri queat. In *secundo* & *tertio* Syllogismo pariter dicit, Minorem propositionem meram esse petitionem principii; Quando scilicet subsumitur: *Du sollst seelig werden.* Et rursus: *Du glaubest mit bussfertigen Herzen/ &c.* Unde enim hoc probabitur tentato, qui fidem se habere negat? In *quarto* Syllogismo Major propositio ita est intelligenda: *Wer den Nahmen des Herrn wird anrufen/ scilicet, in verâ fide, der soll selig lig werden.* Ita verò tentatus rursus negabit assumptum: *Du thust das n.* Pariter & in *quinto*, medius terminus accipiendus est de *confessione oris* ex verâ fide profectâ & cum fiduciali applicatione conjunctâ, quam sibi rectè tribui rursus negabit tentatus, & proinde ex omnibus his Syllogismis nullum sibi solatium subnasci lamentabitur. Ut non dicam, propriè non hoc quæri, unde constare possit tentato, se aliquando certo saluatum iri; Sed quibus fundamentis certus reddi queat, sibi quoque aditum patere per Christum ad gratiam, quæ non nisi paucis, solis quippe electis, destinata est. De quo deinceps plura discendi occasio erit.

§. II.

In II. & III. Thesi V. D. octo observationes præmittit, priusquam *jugulum causa premar*:

A. So-

A. Solatia Evangelica mentis vulnera non ita tollere, ut emplastrum ab Esaia ulceri R. Ezechiae applicatum, neque semper primo, quo adhibentur, momento malum delere. &c.

Id quod longe verissimum est, & quotidianâ experientiâ satis superque comprobatur.

B. Verbum DEI agnoscendum est, quòd sit λόγος πρὸς καὶ πάσης
 Σωτηρίας ἀξιόχ. 1. Tim. 1, 15. &c.

Sed neque de hoc quisquam dubitat. Hoc ipsum enim est fundamentum fidei nostra maximè necessarium & consolationis vera plenissimum, ex quo nobis admonitiones hæc afferuntur & inculcantur, quòd ex solo DEI verbo, (per quòd nobiscum agit, nosque vocat,) discere atque statuere debeamus, quæ sit ipsius erga nos voluntas. Hoc verò prorsus everteretur, juxta FORMULAM CONCORDIÆ p. 307. si Deus per verbum quidem omnes externè vocaret ad regni sui celestis participationem, & vero in corde suo de paucis tantum serio & efficaciter ad salutem vocandis cogitaret.

C. Verbum hoc est Propheticum in S. Codice nobis traditum. Pietas igitur tentati postulat, ut & Verbi à Christi Ministro prolati divinitatem ad animum revocet, & consilium sibi dictatum recipiat, meditetur, secum libret, ei pareat. 2. Reg. 5, 11. sqq.

At postulatum hoc supponit, quòd tentatus possit recipere consilium DEI, eique tam facile parere, ac Naaman poruit ex consilio Eliæ in Jordanem descendere, seque septies in eo lavare. Quomodo autem persuadebit Reformatus tentato, quòd DEUS vires ad hoc præstandum necessarias ei largiri velit; An ex hoc fundamento? quia audit vocem: *Crede & respicite.* At etiam reprobi eam audiunt, quibus tamen vires credendi ac respiciendi simpliciter & absolute juxta æternum DEI consilium denegantur, secundum Reformatos. Hi ergò, si non recipiant consilium DEI, eique pareant, id non tam contentui Verbi Divini, quam defectui virium spiritualium erit tribuendum, quâ in parte rectius assimilari possunt Paralytico, ad la-

sum

cum Bethesdæ jacenti, qui Salvatori quærenti: *vis ne sanus fieri?* respondit: *Domine, nemo est, qui me mittat in lacum, quando aqua movetur.* Joh. V, 6, 7.

D. solidissima solatia non ex promissionibus, beneficiis &c. quæ malis & bonis, salvandis & pereuntibus communia sunt, sed ex illis demum, quæ necessarium & non separabilem cum gratia DEI & salute nexum habent, hauriuntur.

Solatia alia sunt *generalia*, quæ ad omnes promiscuè pertinent; alia *specialia*, solis actu credentibus propria. Hæc posteriora, etsi in se sint *solidissima*, supponunt tamen fidem in subjecto, cui propinquantur; Adeoque tentato, qui fidem se habere negat, hætenus quidem cum successu applicari non possunt. Sed initium potius cum hoc faciendum à promissionibus & beneficiis ad omnes in universum homines pertinentibus, nimirum, à gratiâ DEI universali, à merito Christi universali, à vocatione universali, ut ex his ipsis fontibus fides, si fortè desit, hauriri ac concipi, vel certè sensus fidei in corde latentis excitari, atque ita animus magis magisque præparari ac disponi possit, ad solatia illa admittenda, quæ solis fidelibus propria sunt. Neque enim mens nostra hæc est, quod in istis generalibus ac communibus solatiorum fontibus ultimò subsistendum: Sed quod ab his initium faciendum, & deinceps porro progrediendum sit.

§. III.

E. Meminerit tentatus, haud rarò fidem filiorum DEI *arundini attrita* & *lino fumiganti* Matth. 12, 20. similem fieri, & usque adeo debilitari, ut qui credunt, sibi videantur *fide carere*, Marc. 9, 24. ad ejusmodi angustias redactò anima in patientiâ possidenda, & interea credentium officia præstanda, cælum diu noctuque precibus pulsandum, donec aurora solis justitiæ ei affulgeat. Luc. 18. 1. 7.

In hoc consilio nihil desideramus, (licet exemplum hominis se credere asseverantis Marc. IX, 24. non omnino quadret in

B

tenta-

tentatum, qui se fide prorsus carere conqueritur.) nisi quod *credentium officia frustra exigantur* ab eo, qui se fidem habere negat; Cùm nemo ea præstare possit, nisi qui verè credit, & cui Deus vires ea præstandi vult largiri, de quo nemo Reformatorum tentatum certum reddere potest, juxta confessionem *Spanhemii* in *Annot. nostris Iren.* allegatam p. 44.

F. Ex unâ tentationis horâ non de omni hominis alicujus statu iudicium ferri potest &c.

Neque nos hoc dicimus, sed in qualibet tamen tentationis horâ homini tentato è Verbo DEI succurrendum esse existimamus. Et quo major ac vehementior est tentationis paroxysmus, eo majori idem ac solidiori solatio opus habet.

G. *Ολιγόπιστοι* à DEO reprehenduntur verbis, explorantur verberibus &c. non tamen abjiciuntur. Luc 9. 41. 12, 28. 24, 25.

Verissimum hoc est; sed quid hoc ad tentatum, qui non *ολιγόπιστον*, sed *ἄπιστον* se esse putat?

H. Attendendum est ad tristitiæ principium & subjectum. Tristitia, cui consilere satagis, est vel *secundum Deum*, vel *secundum Mundum*, 2. Cor. 7, 9. sqq. *Illa* dubio procul tandem dissipabitur: *Ista* vel nunquam, vel nonnisi ad tempus. Luctus & lucta horum, est illi, quæ eos exercet, qui tentati dicuntur, dissimillima: Motus est & strepitus conscientiæ hætenus dormientis, jam evigilantis: Flagellum & supplicium DEI Judicis. Lucta hominis fidelis, etiam si pertinacior nonnunquam, tandem tamen in triumphum definit. Quamquam verò fiat, ut hypocrita mature animum recipere videatur, non sunt tamen nisi induciæ infidæ: Qualis vero vel tristitia vel homo contristatus sit, neque Ministro Christi, neque cuiquam homini semper patet. Neque adeo de soliditate consolationis semper ex successu statuendum. Officio suo functus est, quisquis consolationes ex promtuario Vet. & Nov. Testamenti, ex armamentario Spiritus S. proposuit: Reliqua DEO committenda. Minister consolans nihil est, sed solus Deus benedicens. 1. Cor. 3, 5. sqq. in

in ejus manu est Verbum consolationis per Spiritum suum serius
ocys, magis minus fecundare.

Agnoscamus omninò distinctionem, quam Apostolus I. c. inculcat. Est verò tristitia *secundum Deum* contritio cordis, quæ fidem sibi conjunctam habet, adeoque μετάνοιαν ἀμεταμέλητον operatur seu constituit. Eo ipso igitur, quia neque Ministro Christi, neque cuiquam homini semper patet, qualis sit illa tristitia, cum quâ homo luctatur, quæso, quâ fiducia Minister V. D. officio suo fungi poterit, consolationes ex promptuario Veteris & Novi Testamenti, ex armamentario Spiritus Sancti, depromtas proponendo illi, de quo ipse dubius est, num ad ipsum pertineant, nec ne? Nisi enim sit electus, de quo neque homini ejusmodi contristato, neque Ministro constar, sinistra ac consilio DEI æterno & arcano adversa erit omnium istarum consolationum, quippe ad solos electos & credentes pertinentium, applicatio. Non ergo de *successu* consolationis quaritur, ex quo de soliditate ipsius consolationis non semper statuendum esse ultro fatemur; Sed potius de ejus *fundamento*, quod est Christus cum suo merito, num ad eum pertineat, cui ejusmodi consolationes proponuntur, de quo nulla haberi potest certitudo, juxta Particularistas. Qui enim ignorat, *Catechumenum suum esse à numero redemptorum*, etiam ignorat, num solatium, quod fundatur in redemptione Christi, ad eum in individuo pertineat nec ne? Quod vero dicitur *luctam hominis fidelis tandem in triumphum desinere*, id verum est, siquidem homo fidelis ductum Verbi Div. sequatur; Quod si verò opinione erronea de absoluto decreto sit imbutus, huicque pertinaciter inhæreat, contrarium quoque experiri & in tali luctâ tandem succumbere ac *navfragium fidei* facere potest.

§. IV.

In Thef. IV. juxta marginale, *primarii solidæ consolationis fontes ostenduntur*, his verbis:

Oceanus omnis solidæ consolationis est Christus. Hic in se completur multa alia beneficia, cum quibus demum omnes solatii divitias possidemus, & sine quibus homo tentatus nunquam solidam tranquillitate fruitur. Sunt illa beneficium electionis, remissionis peccatorum &c. Hos solatii fontes Protestantes omnes & agnoscunt & possident, eosdem cum curâ detegunt, & tentatos eo ablegant magno consensu, ita quidem, ut Christo & merito ejus primas partes concedant, sed universalitatis hujus meriti, neque illi (*Evangelico-Lutherani*) neque isti (*Evangelico-Reformati*) vel profus non vel vix meminerint. E nostris provocat V. D. ad Dunte in *Cas. Consc.* p. 457. & Scherertzium in fugâ *Melanch.*

Ita omnino est, Christus est fons, imò *Oceanus omnis solidæ consolationis, omniaque illa beneficia in se solus complectitur, cum quibus omnes solatii divitias possidemus.* Hæc verò quando solis electis à DEO destinata dicuntur ex absoluto beneplacito, eo ipso maxima hominum pars omni solatio privatur, & in suâ pauperie, quantumvis eam sentiat, relinquitur. Quibus enim *Christus datus non est* à DEO Patre, ad eos beneficia Christi absolute non pertinent, in eos quoque rivuli solationum inde promanantium derivari nec possunt nec debent; Atqui, juxta Reformatos, maximæ hominum parti Christus datus non est Mediator & Redemptor; Ergo. Ecquid verò hoc aliud est, quam fontem omnis spei ac salutis plerisque hominibus occludere? Nostros Scriptores quod attinet, à V. Cl. allegatos, Dunte in *Cas. Consc.* p. 461. expressè monet, solatia *generalia de Christi merito & sanguine specialibus remediis præmittenda ac præsupponenda esse.* (*Consc.* p. 463.) Scherertzium autem in fugâ *melancholicæ & speculo tentationum Spiritualium* universalitatis meriti Christi sæpissimè meminit, inprimis p. 57. Idem quoque p. 120. verbis Augustini *Serm. 58. de tempore docet,* & confirmat, quod DEUS OMNIUM velit MISERERI. Et pag. 128. Christum ita loquentem hinc: *Meinest du/ daß ich einen in der ganzen Welt von meinem Verdienst ausschliesse. Ich bin das Laam Gottes/ das der ganzen Welt Sünde trägt!*

trägt/ ich bin kommen selig zu machen/ das verlohren war.
&c. Denique, & inter errores Reformatorum refert, quod
homo gratiâ DEI amplius excidere nequeat p. 97. Sed nolu-
mus his diutius immorari.

§. V.

In Thesi V. Quæstio in margine ponitur: *An tentatus, qui fidem non sentit, ex promissione credentibus facta consolationem haurire possit?* In ipso vero textu ad *Annotationem* meam, (quæ ita habet, p. 38. §. XI. Propositio; quisquis crediderit, salvabitur, utique universalis est, ita, ut quilibet credens & qui fidem in se sentit ac deprehendit, de se subsumere possit: Ego credo; Ergo salvabor. Sed quid interim fiet de TENTATIS, qui in paroxysmo tentationis constituti de fide suâ non dubitant solum, sed nullam planè in se fidem, imò ne situm quidem ac desiderium gratiæ (addit V. Cl. *post preces etiam*) sentire conquerruntur?) Sequentia à V. D. regeruntur:

¶ 1. Ergò ille, qui nullam in se fidem sentit, tranquillus reddi potest propositione ista: *Christus pro omnibus mortuus est*? Hæc vel sola Panacæ vim possidet?

Ego verò verbis modò allegatis non hoc volo, sed quod is, qui nullam in se fidem sentit, de se etiam subsumere non possit: Ego credo; Adeoque licet propositio illa: Quisquis crediderit, salvabitur; sit universalis (quis enim hoc Logicæ vel naturalis gnarus negaverit?) istam tamen universalitatem ita restrictam & limitatam esse, ut tentatus de se subsumere nequeat. Ad hoc nihil respondit V. Cl. Deinde, etsi tentatus istâ propositione: *Christus pro omnibus mortuus est*, plenè tranquillus nondum reddatur, certus tamen redditur, quòd Christus etiam PRO SE sit mortuus; quo semel admissò ulterius deinceps progredi licebit. *Quod si tentatus obvertat: Atqui illi, pro quibus Christus mortuus est, perire possunt: imò maxima eorum pars perit.* Respondendum ei erit, hoc fieri hominum culpâ;

Deus enim *neminem vult perire*, saltem non ex absoluto decreto
 2. Petr. III, 9. quotquot autem pereunt, suamet culpâ pereunt,
quia non credunt in nomen Filii DEI unigeniti Joh. III, 18. Ca-
vendum itaque esse, ne & ipse in idem exemplum contumacia in-
cidat. Ebr. III, 11. Per hoc *παρεφοβειαν* fidei everti, & *alia*
omnia potius inde *nasci*, ego certe non *video*.

2. Dubitat V. Cl. cum, qui non credit, Christum pro omnibus mor-
 tuum esse, non posse certum esse, quod Deus ipsum credere &
 salvari velit. Secus videtur Meisnero, cujus hæc verba gravissimus
 & judiciosissimus Autor Vertheid. Glaubens = Einigt. pag.
 62. exhibet: *An nulla potest fieri subsumtio sub promissionibus tan-*
tum credentes attinentibus? Falsum hoc. Cum optima sit consequen-
tia & consolationis plena, qui credit in Christum habet vitam æter-
nam &c. Pari modo Electionis certitudinem probare possum &c.

De TENTATIS mihi sermo est, Vir Doctissime; Hos dico de se
 subsumere non posse; Ego credo; Ergo salvabor. Cur? quia
 se credere negant. Cæterum subsumtionem fieri posse sub pro-
 missionibus tantum credentes attinentibus ab iis, qui se crede-
 re sciunt & sentiunt, adeoque extra tentationis æltum consti-
 tuti sunt, cum Meisnero in terminis factus sum in *annotatione*
 abs TE modò allegatâ. Sed quid inde solatii pro tentatis? Di-
 sputat ibi Meisnerus contra Huberum ejusque commentum ele-
 ctionis universalis, in cujus quidem locum Autor anonymus
 per vertheid. Glaubens = Einigkeit. l. c. substituit benevolen-
 tiam universalem, hanc verò applicationem *sibi ipsi non per*
omnia probari mox subjungit p. 63. Cæterum, quæ B. Meisneri
 mens fuerit circa quæstionem: Num è doctrinâ gratiæ
 particularis solidior consolatio hauriri possit, quàm è doctrinâ
 gratiæ universalis? verba ipsius clarissima TE docere possunt,
 quando in *Anthropologiâ suâ* (*Disp. XIII. Quæst. II. S. VII.*) à
 PERICULO *desperationis* adversus priorem ita argumentatur:
Si ad paucos reconciliationis promissio pertinet, consolatio peccato-

rum erit incerta: semper enim in ambiguo hærebit animus, utrum ad se quoque promissio pertineat, siquidem paucissimos attinere dicitur: Qui sanè proximus est ad desperationem gradus. Vides Meisnero non secus ac mihi visum, & iproinde hujusmodi allegatis quorumvis Irenicorum non tam facilè fidendum esse. Subjungit autem V. Cl.

3. Qui vocem Evangelii: *crede & respisce*, audit, & caufatur, se nescire, quod Deus ipsum credere & salvari velit, aut negat Evangelium esse Verbum DEI; aut negat Deum velle, ut faciat, quod eum facere jubet: quod utrumque irrisoris est; aut DEO obsequi detre-
 etat hoc prætextu, quod ignoret, quid LEUS in æterno suo De-
 creto de ipso staverit, an fidem ei juxta consilium hoc dare velit aut nolit? Talis se ipsum cum Judæis *vita æterna indignum judi-*
cat, Act. XIII, 46. Cum Phariseis *Consilium DEI adversus se*
ipsum aspernatur, Luc. VII, 30. Cum servo nequam *talentum*
suum in terra occultat, *Dominum accusans ut durum*, qui metat, *ubi*
non severit, & *inde cogat, ubi non sparserit*; Matth. XXIV, 4. Nos Christum ita non didicimus.

Sed nec nos, Vir Clarissime, quod pace tuâ dixerim, Christum ita didicimus, ut meritum ejus ad paucos tantum pertinere credamus, sed amor Christi & gloria, quam optimo Salvatori nostro debemus, nos potius cogit, ut cum D. Paulo fateamur, eum pro *omnibus mortuum* esse 2. Cor. V, 14. Sanè, qui vocem ministri audit, *Crede & respisce*, se *externè* quidem vocari audit; quamdiu verò vocationem *internam*, quæ sola efficax est ex mente Reformatorum, intra se non sentit, nondum certò scit, quod Deus ipsum credere velit, voluntate puta efficaci ita, ut vires credendi ipsamque adedò fidem sibi largiri velit. Non tamen propterea negat *Evangelium esse Verbum DEI*; sed illud ad se pertinere dubitat. Neque negat, *Deum velle* (voluntate scil. præcepti) *ut faciat, quod eum facere jubet*; Sed circa hoc saltem fluctuat, num Deus ei vires dare velit, ut facere possit, quod eum facere jubet, quod utrumque sanè *irrisoris* non est, sed ho-
 minis

minis tentati & de salute suâ anxie solliciti. Nec denique *DEO obsequi detrectat*, sub inani *prætextu*, sed non sine ratione ambigit, num *DEUS* vires mandatis suis obsequendi dare velit, Ratio vero ita dubitandi gravissima hæc est, quia non omnibus, quos *DEUS* credere & respicere jubet, sed paucis solum facultatem obsequendi dare ab æterno decrevit, juxta doctrinam Ecclesiæ Reformatæ. Tandem concludit:

Tentato, *DEO* benedicente, per solemtem & pium Ministrum persuaderi potest, meritum Christi ad ipsum pertinere, etiamsi ei non dicam, Christum pro omnibus mortuum. Ex quo fundamento? quia promissiones Evangelii v. gr. Matth. 5, 3. sqq. 11, 28. Jo. 6, 37. 1. Tim. 1, 15. 16. Hebr. 2, 17. 6, 8. &c. ita sunt universales, ut omnis tentatus, qui humili & contrito animo ad Christum se recipit, certus esse queat, quod Deus velit ipsum credere & salvari, eique inde probari potest, quod Deus preces ipsius propter Christum exaudire, & per meditationem verbi sui fidem in ipso accendere velit.

Concedo hoc de *omni tentato, qui humili & contrito animo ad Christum se recipit*, h. e. qui credit, & se credere sentit. Quid enim est *ad Christum, ut cornu salutis, se recipere*, quam credere? interprete ipso Viro Cl. p. 8. Quotquot igitur humili & contrito animo ad Christum se recipiunt, illi jam credunt, adeoque non solum certi esse possunt, quod *DEUS fidem in ipsis accendere, velit*, sed quod jam accenderit. At de his non est quaestio, sed de iis, in quibus fides vel demum generari, vel saltem excitari debet, & qui anxii sunt non solum de eo, an fidem habeant? sed &, an habere possint? quod promissiones non limitatè, sed absolutè universales probant, etiam juxta *trenicum* à Cl. V. allegatum in *Literis ad Amicum &c.* *Qui autem fidem habent*, inquit ille, p. 15. habeant verò, quotquot humili & contrito corde ad Christum se recipiunt, *eo ipso certo norunt, quòd Deum habeant propitium, quod Christus pro se*

fit mortuus, quòd Deus se velit conversos, fideque donatos, quia converterit & fide donaverit. Verbo: ab esse ad posse esse valet consequentia. Si ergo probasti, quod habeant fidem, eo ipso etiam probasti, quod habere possint. In his sanè, rectè ait Irenicus, nihil superest difficultatis. De iis verò, qui fide nondum donati sunt, ita idem sibi ipsi objicit, (addo ego, de iis quoque, qui fidem se habere non sentiunt,) res est intricatior; Quid vero responderet? Hoc verò, ait, ad fidem & ad ejus fundamentum non pertinet. Habent fideles fidem ejusque fundamentum integrum & illesum, etiamsi de fide consequenda (num fidem consequi possint) certi non sint homines fide destituti. Articuli fidei (fundamentum scilicet fidei constituentes) non sunt infidelium, sed fidelium &c. Quasi verò! Ita certè nodus intricatus non solvitur. Nonne enim fundamentum fidei à prudenti architecto tale constitui debet, quod & homines fide hæctenus destitutos certos reddere possit, quòd & ipsi fidem consequi, eamque huic fundamento tutò superstruere queant? Procul dubio.

§. VI.

Circa statum quæstionis, quem V. D. Thef. VI. declarat his verbis:

Quæritur non de cujusvis hominis, sed de Tentato solatio; nec de quovis alio cordiali, quod huic vel illi Protestantium Ecclesiæ in fidei deliquio in promptu est. Sed an illud, quod ex doctrina de Universalis: an id, quod ex Particulari gratia hauritur, præferendum sit?

Præter ea, quæ §. I. diximus p. 7. id porrò monemus, quòd nec de quovis tentato quæstio sit, sed de eo, qui principiis de Particularismo gratiæ & meriti Christi imbutus est, iisque pertinaciter inhæret, & verò hoc sibi dubium eximi postulat, num Christus, extra quem nulla spes salutis esse potest, etiam pro ipso sit mortuus? De tali, inquam, tentato quæritur, quodnam sit illud solidum ac firmum fundamentum, cui fidem tutò super-

perstruere, atque ita ex fluctibus istis tentationum emergere atque eluctari possit? Utrum ex doctrinâ de gratiâ *particulari* illud desumi possit? Juxta hanc argumenta suppetunt non nisi à *posteriori*: Quicumque credit, pro illo Christus est mortuus, & hunc Deus vult salvum fieri; Atqui tu credis. Ergò. E doctrinâ verò de gratiâ *universali* argumentum desumitur à *priori*: Quicumque pro omnibus mortuus est eo fine, ut per fidem in ipsum habeant vitam æternam, ille etiam pro TE est mortuus & vult, ut Tu quoque per fidem in eum habeas vitam æternam. Atqui Christus &c. E. Quis autem non videt, tentatum, sive Lutheranum sive Reformatum, in priori argumento statim negaturum Minorem propositionem, quæ cum aliunde probari non possit, quam è testimonio interno Spiritus S. & criteriis veræ fidei, quæ sibi competere tentatus ejusmodi rursus negabit; Sanè non liquet, quomodo Minister hypothesi de gratiâ efficaci particulari & de decreto absoluto multos in fidei collatione prætereundi additus longius progredi, & hominem in tentatione illa ac formidine, ne fortè & ipse è numero præteritorum sit, constitutum certum reddere possit, quod Christus etiam pro ipso sit mortuus, & quod DEUS ipsi fidem largiri velit. Id quod totidem verbis falsus est *Spanhemius*, & rectè *Amyraldo* opposuit, quippe qui & ipse modo dictam hypothesin admisit, neque à receptâ Ecclesiæ Reformatæ doctrinâ in substantialibus recessisse videre voluit. Vid. ejus *Exerc. de Grat. univers.* p. 152. Accedit, quod & ipsum argumentum à *posteriori*, à *sensu* scilicet *fidei* desumptum, incertum reddatur per assertiones Reformatorum, quando v. g. Couperus ait: *Nullos esse promptiores ad beneficia Christi applicanda, quam sint reprobi, quibus tamen nullum in illa jus competat.* Perkinus: *Nullos sepè longius à fide abesse, quam illos, qui se nunquam vel tantillum de salute dubitasse jactitant.* P. van Mastricht: *Fidem temporariam à verâ fide vix dignosci posse &c.* Contra verò in posteriori argumento tentatus doctrinæ Ecclesiæ nostræ de gratia & merito Christi universali ad-

dictus

dictus nihil desiderare potest, adeoque per illud, saltem quoad hoc punctum, certus redditur, quod Christus etiam pro ipso sit mortuus; Quo supposito semel admisso longius deinceps progredi potest Minister, atque ita argumentari: Pro quo Christus est mortuus, illum DEUS vult credere & salvari, illi etiam fidem vult largiri, hancque per Spiritum suum operari, & nisi morosum is obicem ponat, certò operabitur. Et sic porro. Hoc *cordiale*, quod ex doctrinâ de gratiâ universali hauritur, omninò existimamus, longè *preferendum esse* illi, quod petitur ex doctrinâ de gratiâ particulari, præsertim, quando res nobis est cum tentatis, qui fidem in se nullam sentiunt, vel & cum iis, qui in viâ conversionis constituti fidem nondum habent, sed ad hanc è Verbo DEI concipiendam demùm adducendi sunt.

§. VII.

In Thesi VII. V. Cl. *ad jugulum causa premendum* propius accedit, & sub examen vocat methodum consolandi DD. Evangelico. Lutheranorum, de qua in *Annotationibus* nostris p. 40; diximus: E nostra sententia fundamenta solatiorum supplicunt sequentia; Deus vult omnium misereri. E. & tui. Christus pro omnibus hominibus mortuus est. E. & pro te. Spiritus S. per Verbum Evangelii vocat omnes, & quantum in ipso est, fidem in omnibus vult operari. E. & in te. Esto igitur bono animo & noli dubitare, quin DEUS te quoque per Christum salvum fieri velit; *Crede & salvaberis* Act. XVI, 36. Hic meminisse debebat V. D. fundamenta hæc allegari à nobis in ordine ad tentatum, qui est membrum nostræ Ecclesiæ, ejusque doctrinam publicam de cætero admittit. Quæstio enim est, utrum Reformati suos, an Nos nostros tentatos facilius & solidius consolari atque erigere queamus? Tam ineptus non sum, ut existimem, fundamenta ista tentato Reformatæ doctrinæ addicto satisfacere posse, de quo constat, quod antecedens

cedens pro falso habeat. Aberrat igitur à scopo V. D. quando ad hæc respondet;

1. Ex falso antecedente vera inferri conclusio nequit; Qui omnium miseretur, qui omnes redimit, omnes vocat &c. is miseretur, redimit, vocat omnes sine exceptione, etiam illos, quibus vel Evangelium non prædicatur, vel qui prædicatum blasphemant, vel superficietenus in hypocrisi recipiunt, corde à DEO alieni. At id DEUS non facit. E. DEUS non omnium miseretur.

Antecedens illud, nimirum, quod DEUS *omnium* misereatur; quòd *omnes* redemerit; quòd *omnes* vocet, V. D. pro falso habet; Id verò Solis radiis & totidem verbis scriptum extat in S. Codice. Rom. XI, 32. 1. Tim. II, 6. Act. XVII, 30. &c. *Ex falso antecedente*, ait, *vera inferri conclusio nequit*. At conclusio nostra est hæc: E. miserebitur & Tui. E. & pro te Christus est mortuus. E. & in te Spiritus S. fidem vult operari. Si dicas tentato, hanc conclusionem non esse veram, egregium scilicet ei suppeditabis cordiale. Sed mens V. C. huc sine dubio tendit; Quòd falsum sit antecedens illud, constare posse ex eo, quia aliàs exinde sequeretur, quòd DEUS misereri velit etiam eorum; quòd Christus redemerit etiam eos; quòd Spiritus S. per verbum vocet etiam eos, quibus vel Evangelium non prædicatur, vel qui prædicatum blasphemant, vel superficietenus in hypocrisi illud recipiunt, corde interim à DEO alieni. Atqui hoc DEUS non facit. E. nec omnium miseretur; nec Christus omnes redemit; nec Spiritus S. omnes sine exceptione vocat. Quæ conclusio num tentato solatium suggerat, an potius furripiat? judicet æquus & extra studium partium positus Lector. Cæterum tres classes hominum constituuntur à V. D. quorum DEUS non velit misereri, quos nec Christus redemerit, nec Spiritus S. per verbum Evangelii vocet. *Prima* est eorum, quibus Evangelium actu & de præsentis non prædicatur, ob peccata majorum & propriam ipsorum malitiam, quâ veritatem

tem naturâ notam & cordibus ſuis inſcriptam captivant. Rom. I. 19. vel juxta alios, ob præviſam incredulitatem & repudium Evangelii, vel aliam quamcunque juſtam & ſoli forſan DEO notam cauſam, non ex abſoluto aliquo decreto. Hoc cum fiat ex voluntate DEI conſequentē judiciaria, voluntas potius antecedens ſupponi debet, ad quam miſericordia DEI generalis, meritumque Chriſti univerſale pertinent. Non ergo ſequitur, Evangelium multis actu non prædicatur ex juſto DEI judicio. E. DEUS non vult, voluntate antecedente, omnium miſereri; E. Chriſtus non omnes redemit; E. Spiritus S. non omnes per verbum vocat, vel etiã olim vocavit, vel aliquando vocabit. Neque enim, quod vocationem attinet, eam ita univerſalem eſſe dicimus, ut per ſolenne ac publicum Verbi Div. præconium omnes & ſinguli homines quovis tempore actu vocentur, ſed quòd vocatio in Paradifo, tempore Noachi, & per Apoſtolos facta ex intentione DEI ad omnes omnino homines ſpectet, adeoque hoc ſenſu univerſalis fit; etiã ſi DEUS non omni tempore omnes gentes, omniaque ac ſingula individua per verbi prædicationem actu vocet, aut nobile depositum ſemel juſtè ablatum non ubique reſtituat. Quòd ſi vel maximè difficultas illa planè inſolubilis eſſet, tentato tamen nihil præjudicaret, quippe qui vocem Evangelii audit. Et ſanè, ſi hoc ſaltem Diſſidentibus nobis largiri vellent, quòd DEUS omnes eos, quibus verbum ſuum annunciari curat, & per illud actu vocat, *cum intentione fidei & ſalutis* vocet, tantisper contenti eſſemus, & difficultatem iſtam, quam ſemper in ore habent, inter *ἀνεξετάστα* DEI judicia referri facile permetteremus. *Præter hæc enim (inquit Formula Concordiæ p. 811. ſqq.) qua expreſſè de hoc negotio in S. litteris revelata ſunt, multa adhuc Dominus de hoc myſterio reticuit & occultavit, eaque ſoli ſua ſapientia & ſcientia reſervavit, qua proinde nobis inveſtigare aut ſcrutari non licet; & hùc refert definitum electorum numerum, tempus & horam converſionis; Nec non*

quod Deus verbum suum alicui regno aut ditioni de presenti donat, alteri non: Item, quod id ipsum ab uno populo aufert, alii verò diutius concedit, vel & denuò largitur. Hinc enim spectat illud Pauli: O altitudo! quis cognovit sensum Domini? scilicet ex-
tra & supra id, quod ipse in verbo suo revelavit. Quod ipsum discrimen accuratè in hoc negotio observandum & retinendum est. Secunda Classis est eorum, qui verbum Evangelii blasphemant; & denique Tertia, qui illud tantum superficietenus in hypocrisis recipiunt. Hi quomodo è numero eorum, quorum DEUS vult misereri, quos Christus redemit, & Spiritus S. per verbum vocat, simpliciter sint excludendi, non video; cum hominum infidelitas fidem DEI irritam reddere nequeat, juxta illud Pauli Rom. III, 3. Quin potius eo ipso, dum illi consilium DEI adversus semetiplos spernere Luc. VII. 30. seque vitâ æternâ indignos judicare dicuntur Act. XIII. 46. utique supponi debet, quod consilium DEI de salute per fidem in Christum danda ad ipsos quoque pertineat, seu, quod idem est, quòd Deus & hos omnes vocet per Evangelium cum intentione fidei & salutis. Quod utinam nobiscum agnoscerent vel tandem Reformati omnes, quemadmodum id Universalistæ Categorici, qui inter eos passim reperiuntur, & olim agnoverunt, & hodiè agnoscunt. Sed hætenus res intra pia vota subsistit, & spes de die in diem proh! dolor minui videtur.

2. V. Cl. ex illis verbis: *Christus pro omnibus mortuus est*; E. & *pro TE &c.* Tentatum certum reddere vult, quòd DEUS illum, pro quo Christus mortuus est, salvum fieri velit. Quis tentatus id nescit? quis negat?

Imò verò V. Cl. hoc potius volo, quòd DEUS & hunc ipsum tentatum, utpote pro quo Christus mortuus est, salvum fieri velit, & quòd de hâc veritate non debeat porrò dubitare.

Id verò, *instat*, tentatum nondum reficiet, nisi certum reddas, quòd DEUS eum, quem salvum reddere vult, salvaturus sit. Quamdiu id ei asseverare nescis, tamdiu in eodem luto hærebit.

Sed

Sed & hoc pro certo asseverare licet, quòd DEUS eum actu aliquando *salvaturus* sit, non quidem absolutè, sed sub conditione, siquidem ordini gratiæ sese submittat, & operationi Spiritus S. qui fidem in nobis vult inchoare & perficere, malitiosum obicem non ponat.

Ergò, *regerit paulo post*, ex ordine, quem DEUS posuit, solatii fundamentum non est illa misericordia, redemptio, vocatio universalis, sed fides.

Nego consequentiam, quia hæc subordinanda sunt, non opponenda; Vel, si mavis, concedo fundamentum salutis actu consequendæ *proximum* & immediatum esse fidem; *Remotum* autem vel mediatum, quod fundamento proximo subternitur, misericordiam, redemptionem, vocationem universalem. Confer, si placet, adhuc verba Hülsemanni, à me allegata *Annot. p. 26.* & patebit, hanc, non aliam, esse Ecclesiæ nostræ doctrinam publicam.

Excipiet tentatus (*ita pergit V. Cl.*) sibi nihil dici, quod non etiam de Caino, Juda &c. verum sit. Hoc scilicet est consolari tentatum, ita DEUM esse animatum erga ipsum, ut erat erga eos, qui jam sunt victima orci? (quæ verba etiam occurrunt in *Dissert. Iren. de Connubio Veritatis p. 53.*)

Numquid igitur erga hos non benè animatus fuit? Victima quidem orci facti sunt, sed suâ culpâ, propter infidelitatem suam, non quòd DEUS malè erga ipsos animatus fuerit, absit! ut hoc dicamus. DEUS *non vult quenguam perire* 2. Petr. III, 9. *non vult mortem peccatoris* Ezech. XXXIII, 11. juxta voluntarem antecedentem; Ergo nec hos voluit perire; Ergo nec horum mortem voluit, nisi consequenter demùm & ex justo judicio. *Perditio tua ex te, Israel &c.* Hoc ergo omninò est consolari tentatum, si dicatur, DEUM erga *omnes* homines benè animatum esse, *omnibus* benè velle, *omnium* salutem impensè cupere, adeò, ut hoc de iis quoque verum sit aut aliquando fuerit,

rit, qui jam sunt *victima orci*. Quod si ei dicas vel centies, pro quo Christus mortuus est, ille cerò salvatur, &c. nondum omnia expedita erunt, uti quidem V. Cl. censet; Quamdiu ei asseverare nescis, quod & pro ipso sit mortuus, tandiu in eodem semper luto hærebit. Et si non majori, certè eodem jure excipiet, sibi nihil dici, quod non etiam Caino, Judæ &c. vere dici potuisset.

Quamdiu, *inquit*, persuasio sedet, quenquam, pro quo Christus mortuus est perire posse, locum minimè habet vera consolatio.

Frustra ergo quæritur, num *solidior* ex universalis, an ex particulari gratiâ hauriatur consolatio, si stante doctrinâ nostra locum *minime* habet vera consolatio, atque adeò beneficium hoc ei simpliciter & absolute denegatur. Itane verò malè consuluit Petrus afflictis conscientis, quando 2. Ep. II, 1. in terminis ait, multos *perire, quos Christus mercatus est*, h. e. sanguine suo & morte redemit. Conf. 1. Petr. I, 18. Invertimus potius hanc propositionem & dicimus: *Quamdiu persuasio sedet*, Christum non pro omnibus esse mortuum, in casu tentationis *locum minimè habet vera consolatio*.

3. Probatio, *pergit* V. Cl. ex Act. 16, 31. impertinens est. Qui solis credentibus salutem promittit, & solos credentes salvat, is non omnium miseretur.

4. Verba I. c. fidem requirunt, cujus in V. Cl. Syllogismo nullam mentio facta.

Neque ista à me *probationis* loco adducta sunt, quod facile videre potuisset V. D. si ad connexionem voluisset attendere; sed per modum *instructionis* potius, quid DEUS quemlibet hominem, adeoque & tentatum facere velit, ut gratiæ suæ & salutis, quam omnibus offert, actu particeps fiat.

5. Propositione gratiæ universalis peccatorem ad fidem adducere conaris, qui hæctenus vel fide, vel saltem sensu fidei destitutus erat. Verum ut morbus alius est fide, alius sensu fidei destituti: ita non eadem

eadem medendi methodus huic & illi adhibenda. Nobis non de illis, qui fide: sed illis, qui ejus sensu carent, sermo est. Qui fide carentes promissione salutis erigunt, panem, filiis destinatum, canibus projiciunt.

Nobis de utrisque sermo est, qui fide carent, & qui sensu fidei destituuntur. Licet verò morbus (si quidem conditionem hominis fide destituti morbum appellare fas est,) sit diversus in se, eadem tamen medendi methodus huic & illi adhiberi potest, tum quia is, qui sensu fidei caret, ipsa fide se carere putat; tum, quia Ministro Verbi Div, non constat, utrum tentatus fidem habeat, nec ne? Talia ergo medicamenta adhibeat oportet, quæ utriusque morbo curando sint idonea. Id quod prudentes Medici aliàs facere solent, quamdiu de genere morbi ipsis nondum certò constat. Cæterum, qui fide carentes promissione salutis erigunt, ita ut salutem iis promittant, sive credant, sive non, panem filiis destinatum canibus projiciunt. At hoc nos non facimus, quin potius subinde consilium Pauli inculcamus: *Crede & salvaberis*. Qui verò promissiones Evangelicas ad solos electos restringunt, tentato panem petenti lapidem porrigere nobis videntur. Luc. XI. 11.

6. Spiritus S. quantum in ipso est, fidem in omnibus vult operari, inquit V. Cl. Ergo fides non solius Spiritus S. donum est.

Nego consequentiam; Sinistrum verbis meis sensum affingis, quasi hoc velim dicere; Spiritus S. quantum quidem in ipso est, fidem in omnibus vult operari, sed non operatur actu, nisi homo ei cooperetur. Sed nosti sine dubio V. Cl. Synergismum ex Ecclesiâ nostra dudum proscripsum esse, quo cum nihil ego commune habeo.

Ergò Spiritus S. fidem non producit, quum operatur, quantum in ipso est?

Non semper. Hoc tibi absurdum videtur, nobis non item. Scilicet supponis, operationem Spiritus S. esse irresistibilem;

D

(sit

(sit venia verbo, quod alibi barbarum esse ais,) nos resistibilem asserimus; Jam verò, qui fidem vult operari, quantum in ipso est, operatione tamen resistibili, seu, cui resisti potest, & cui actu sæpissimè resistitur, utique fidem non semper actu producit, sed tunc demùm, quando ei morosè non resistitur. Luditur verò in terminis: Illud *quantum in ipso est*, nobis non denotat potentiam agendi *absolutam*, cui nemo resistere potest; si enim Spiritus S. absolutè omnes vires suas, sive omnipotentiam suam divinam in conversione hominum impendere vellet, sine dubio omnes converterentur; Sed respicit τὸ ἔν τῷ ἑαυτοῦ s. *ordinem* modumque gratiæ Div. quòd nihil eorum intermittat, quæ ad conversionem hominum faciunt, modo ex parte hominis morosus obex non ponatur, quo sensu & DEUS apud Prophetam ait: *Quid faciendum amplius vinea mea, quod non fecerim illi?* Esa. V. 4.

Ergò fides omnium est, non electorum, contra 2. Thess. 3, 2. Tit. I, I.

Hoc sensu, quod Spiritus S. fidem in omnibus velit operari, quidni? DEUS omnibus πείθει πᾶσι Act. XVII, 31. Est ergò fides omnium, ratione *intentionis* Div. non est omnium, ratione actualis *inexistentiæ*; Cur è quia plerique gratiæ Div. resistunt. 2. Thess. 3, 2. Quod *electorum* sit Tit. I, I. non est dubium. Quod verò *tantum* horum sit, nullibi dicitur; Dantur enim qui ad tempus credunt, & deinceps à fide rursus deficiunt. Luc. VIII. 13. Sed de his alibi.

§. VIII.

Thesis VIII. hoc marginale habet: An credere, Christum pro omnibus mortuum, ad consolationem tentato omnino necessarium? In textu ad verba mea, *Annot. p. 41.* quibus V. Cl. quaerenti: *Quorsum mihi conducit scire, Christum mortuum pro omnibus, nisi in illum credam?* respondi: Scire Christum pro omnibus mortuum, conducit & nondum credenti & se credere
non

non sentienti. Nimirum, ut ad fidem hoc modo adducatur & certus reddatur, quod DEUS & ipsum credere velit, & quod objectum fidei salvificæ, Christus scilicet cum suo merito, ex intentione DEI ad ipsum quoque pertineat: Alias frustra sitit atque esurit, cuicumque hic fons salutis & panis vitæ à Deo simpliciter destinatus non est. Ad hæc, inquam, verba V. D. sequentia regerit:

I. Impius est, qui auditâ voce DEI, *crede*, dubitat, an Deus ipsum credere velit?

Ergone Deus omnes vult credere? quotquot hanc vocem audiunt: *Crede*. Dices: omnino vult, voluntate *præcepti*, non *decreti*. Sed illa nonne etiam reprobis est communis? Jam verò ex tuâ sententiâ, ut suprâ vidimus, nullum solatium firmum atque solidum, peti potest ex eo, quod *salvandis & pereuntibus commune est*. Hanc explicationem si audiat tentatus, dicet, se audire quidem præceptum, neque de hoc dubitare, quod Deus jubeat ipsum credere; Sed hoc sibi dubium esse, num Deus vires præstandi id, quod præcipit ac jubet, dare velit? Hic ministro reformato hypothesi de gratiâ efficaci particulari & de decreto absoluto multos prætereundi in fidei collatione addiæto hærebit aqua, neque is longius progredi poterit, aut tentatum certum reddere, quod Deus illi fidem largiri velit. Et si vel centies ei dicas: interim vult Te credere, & præcipit, ut credas; nihil tamen inde solatii in miserum istum redundabit, quia à *præcepto ad decretum* seu voluntatem dandi fidem juxta DD. Reformatos colligere non licet. Et quid sibi tandem vult ille imperativus, *Crede*; Aut, quid præcipit Deus, ut credat homo? An, quòd Christus etiam pro ipso sit mortuus? At Deus falsum credere non jubet; Fieri autem facillimè potest, ut hoc sit falsum, si forte is, cui dicitur, *Crede*, sit reprobus. Et hæc sine dubio ratio est, quare V. D. verba mea non integra repetierit in hac primâ suâ responsione, sed immediatè sequentia omiserit; Ita enim dicere debuisset: Impius est, qui auditâ voce DEI, *crede*, dubitat, an Deus ipsum credere velit, & num objectum fidei salvificæ, Christus

cum suo merito, ex intentione DEI ad ipsum pertineat. Jam verò etiam reprobis, qui externè vocantur, dicitur: *Crede*, nec tamen ad eos Christus cum suo merito ex intentione DEI pertinet, atque ita quivis videt, præceptum hoc, *Crede*, hominem nondum certum reddere posse, quod Christus cum suo merito ad ipsum quoque in individuo pertineat, consequenter, *impium* non esse de hoc dubitare.

1. Oberratur semper eadem chordâ, neminem credere vel posse vel debere, nisi cui à priori de Electione DEI & intentione Christi morientis constet.

Confundis *Electionem* cum *Redemptione*. De illâ nemini à priori constat, neque constare potest. Sed tamen de hac; quod Christi morientis intentio fuerit, satisfacere pro peccatis totius mundi, adeoque omnes redimere. Et hoc est immediatum illud præsuppositum, cui fides specialis cujusvis credentis innititur. Circulus enim esset dicere: Credo Christum pro me esse mortuum; Ex quo fundamento? Quia credo; Christus enim pro omnibus credentibus est mortuus, consequenter & pro me, quia & ego sum in numero credentium. Pergit V. D.

Gratiæ DEI demonstratio non à priori, sed à posteriori fieri potest & debet.

Verum hoc rursus est de gratia *electionis*, non *redemptionis*; hæc enim illâ latius pater. Hâc eâdem chordâ non possum non semper oberrare. Adeò verò suaviter hæc chorda sonat in auribus tentatorum dubitantium, num Christus etiam pro ipsis sit mortuus, ut eorum corda unicè recreare possit. Demonstratio à posteriori in tentato, durante tentationis æstu, locum non habet. Surdo fabulam narrares. Audi, si placet, Jos. PLACÆUM, qui in *Dissert. de Ord. Decr. DEI* §. 34. ita scribit: *Cum duplex in DEO distingui possit misericordia erga peccatores, una quodammodo necessaria, qua fidem & penitentiam exigat, ut conditionem: altera prorsus libera, que con-*
ditio-

ditionem non exigit, sed facit: Ab illâ oritur decretum generale, ab hac particulari. Solo generali decreto nititur fides nostra, tum, cum primum produci- tur. Particulare enim nullam nobis consolationem affert, nisi postquam cre- didimus, fideique notas in nobis deprehendimus: Generale promiscue genus hu- manum respicit, id quod liquere potest ex universaliute promissionum, quibus decretum illud promulgatum &c. Verba L. OSIANDRI à V. Cl. alle- gata loquuntur, ut patet, de gratiâ electionis, qua via quis certus reddi possit, quòd reverâ sit ex *oribus Christi*, de quo heic nondum est sermo.

3. Credere, ait V. D. est se recipere ad Christum, ut cornu salutis, gratiam obedientiâ & sanguine Christi acquisitam, à DEO in nomine Christi flagitare, postulare, apprehendere.

Sit ita! Nonne ergo gratiam illam oportet esse acquisitam omni- bus, qui jubentur credere eamque apprehendere? Applicatio sine dubio supponit acquisitionem. Jam verò etiam reprobi jubentur credere, (voluntatem enim præcepti sese etiam ad re- probos extendere omni dubio caret,) & ideò damnantur, quia non credunt. At DEUS non jubet credere falsum. Verum itaque erit, Christum etiam pro his mortuum esse, licet gra- tiam obedientiâ & sanguine Christi acquisitam sibi nunquam ap- plicent, neque ob defectum virium credendi applicare possint, consequenter nec unquam actu consequantur. Ad verba *Annot. mex*: Aliàs frustra sitit atque esurit, cuicumque hic fons salu- tis & panis vitæ à DEO simpliciter destinatus non est; Respon- det V. Cl.

4. Quisquis esurit & sitit justitiam, saturabitur; nemo eam frustra esu- rit & sitit.

Rectè, quia nemo est, cui fons ille salutis & panis vitæ simpli- citer destinatus non sit, vel, cui accessus ad eum absolutè sit præclusus. Aliàs, dico, si talis daretur, frustra is esuriret ac si- tireret. At negas, talem esurire ac sitire posse; Nimirum, quia DEUS famem ac sitim spiritualem in eo non vult accendere, sed eum potius in morte spirituali ac profusus ἀνάσθητον relin- quere.

quere. *Æternum* igitur esurire ac sitire oportebit eum, qui in hac vitâ esurire ac sitire non saltem non *voluit* per contentum, sed ne quidem *potuit* ob defectum & absolutam denegationem gratiæ. Hoc qui asserere non veretur, lapides nobis loqui videretur, quos debilior tentatorum stomachus concoquere nequit.

§. IX.

Ad verba SPANHEMII: *Frigidam* planè & *jejunam* esse consolationem istam, quæ petitur à propositione absolute universali, sive à gratiâ universali damnandis & salvandis *communi*. Regessi in *Annot.* p. 45. Quis dixerit frigidum esse solatium, quod captivis proponitur, quando redemptio pro ipsis omnibus promiscuè facta annuntiatur, etiamsi ea à quibusdam deinceps forte repudietur? &c. Hic, ait V. Cl. *multa à me supponi, qua in questione, quaque ex sententia Reformatorum falsa sint.* Videtur autem V. D. non satis attendisse ad scopum verborum meorum, qui hic est: Spanhemius frigidum hoc & jejunum solatium appellat, non idèò quòd falsum sit, ita enim ipse supposuisset, quod in quæstione erat, sed quòd à gratia universali damnandis & salvandis *communi* sit petitum. Sæpius enim id repetit, & quasi pro principio supponit, & cum eo pariter *Clariss. Hottingerus* p. 3. 11. Ut igitur simili quodam res illustretur & ostendatur, solatium à beneficio *communi* defutum non statim esse frigidum & jejunum, dico: Si redemptio omnibus captivis *communis* & pro omnibus promiscuè sine exceptione facta annuncietur, bonum hoc nuncium propterea non esse frigidum & jejunum solatium, quia *commune* est iis, qui actu è captivitate liberantur, & qui suâ culpâ in eâ permanent. Pariter nec illa solatia, quæ à gratiâ universali damnandis & salvandis *communi* petuntur, idèò quia sunt *communia*, frigida & jejunata dicenda esse. Hic nihil suppono, sed majorem propositionem Spanhemii per hanc instantiam infringo; Si enim discursus ejus in formam Syllogismi redigatur, Major

jor hæc erit : Quodcunque solatium omnibus etiam pereuntibus est *commune*, illud est frigidum & jejunum. Atqui solatium à gratiâ universali etiam damnandis communi est tale. E. Respondeo quasi per instantiam: Atqui solatium redemptionis pro omnibus captivis factæ est commune etiam pereuntibus & qui actu non liberantur, Ergo est frigidum & jejunum. Conclusio est falsa; E. vel major vel minor fallit. Non *Minor*, ut patet, Ergò *Major*, quæ est Spanhemii. Hic ergò nihil suppono; Sed argumento Spanhemii hoc simile oppono. Videamus tamen, quænam sint ea, quæ falsò à me heic supponi putat V. D. Verba ipsius hæc sunt:

a. Pro Omnibus à Satanâ in captivitatem adductis *redemptionem* factam.

Dolui in Spanhemio, quod solatium à gratiâ communi petitum frigidum & jejunum appellarit, sed magis nunc doleo, à Cl. Hottingero præstantissimam hanc veritatem, quæ rotidem ferè verbis legitur in Verbo DEI, præsertim 1. Tim. II. 5. pro falso supposito haberi. Si redemptio non est pro omnibus à Satanâ in captivitatem abductis facta, cui bono annunciat, si non omnibus sine exceptione, quod fieri negat V. D., tamen multis, quod concedit in verbis subsequentiis, *quorum tamen nullus partem eorum, pro quibus Christi redemptio facta est, constituit.* Et quâ, quæso, ratione aut veri specie dici potest de his, quod subjungit V. D. *quòd effectus ejus salutaris suâ culpâ destituantur, si pro ipsis facta non est.* Conciliet hæc, qui potest.

b. Quòd redemptio Christi non plura nec majora nobis conferat, quam gratia Principis redemptionem captivis annunciari curantis.

Hoc adeò non suppono, ut ne quidem è verbis meis exculpi possit, nisi simile ultra suum tertium, contra mentem meam & communem Logicorum regulam, extendere velis. Scio, nullum aliud beneficium corporale beneficio redemptionis æquiparari posse.

c. Quod

c. Quod is status peccatoris sit, ut si velit se inde expedire, & vincula, quibus à Satanâ constrictus est, quondocunq̃ lubet, rumpere queat; cùm id non magis possit, quàm mortuus vitam sibi redere.

Minimè id suppono, sed hoc saltem, quòd illi, quos DEUS è potestate Satanæ in libertatem filiorum DEI vult asserere, & à vinculis ejusdem liberare, DEO resistere, sicque suâ culpâ saluari liberationis effectu carere possint. Jam verò aliud mihi simile opponit V. Cl. his verbis:

Concipe catervam conjuratorum mancipiorum, qui ne hero tuo sive privata sive publica, sive pacis, sive belli tempore, officia præstare possint, ita se catenis adstrinxerint, ut nullus eorum manus pedesve movere possit.

Non jam dicam, simile hoc fingi, & talem casum vix existere posse, ut qui adversus herum suum conjurârunt, ipsimet se catenis ita adstringant, ut nullus eorum manus pedesve movere possit. Quicquid sit de hoc. Admittamus simile. Quid tùm?

Promittat eis Herus veniam delicti, nec tamen eos, quod solus potest, catenis illis liberare velit? Quorsum eis redemptio promissa?

Paritèr dico: Quorsum iis redemptio *annunciata*, quos Christus neque redemit, neque è vinculis peccatorum, quod solus potest, liberare vult? Applicatio certè Reformatis minimè favet, quæ hæc est:

Non minus impediti sunt peccatores ad credendum Evangelio & ad resipiscendum.

Ita omninò est. Frustra ergò his dicitur: *Crede & respisce*, in quibus DEUS fidem & resipiscenciam absolutè non vult operari.

Quos non ipse DEUS vinculis his liberaverit, non possunt non in iis perire,

Verissimum. Atqui maximam hominum partem, ex sententia Reformatum, DEUS vinculis suis non liberat, nec vult liberare;

rare; Ergò ii non possunt non perire. Et, quos non vult liberare DEUS, qui solus potest, eos vult perire. Contrarium docet D. Petrus 2. Ep. III. 9. *Deus non vult quenquam perire, sed omnes ad penitentiam pervenire.* Ergò omnes è potestate Satanæ vult liberare. vid. Act. XXVI. 18.

§. X.

Consilium, quod V. Cl. in *Diss. Iren. de Connubio Veritatis &c.* §. LXX. TENTATO de fide sua dubitanti dedit, precibus, Verbi & viarum Domini meditatione, patientiâ, humilitate &c. opus esse, in Annos. meis benè se habere dixi, Interim tamen ab eo regeri posse, preces à DEO non nisi propter Christum exaudiri. Hunc autem ejusque meritum forsan ad se non pertinere. Neque promissiones Evangelii ita universales esse, ut & ipse certus esse queat, quod DEUS velit ipsum credere & salvari. Ministrum frustra ad preces &c. hortari, nisi prius probare possit, quod DEUS preces ipsius gratiose propter Christum exaudire, & fidem per meditationem verbi sui in eo accendere velit. Ad hæc R. V. D.

1. Voces has etiam irrisoris alicujus esse posse.

Quid tùm? sufficit, quòd etiam verè tentati & de salute sua anxie solliciti esse possint. Cum irrisoribus & empæctis nihil nobis est negotii.

2. V. Cl. fingit Auditorem Verbi Div. qui Ministro dicat, credam in Christum, si sponsor mihi esse velis, cum pro omnibus hominibus esse mortuum: vel saltem, me nominatim esse ex illis, pro quibus mortuus est. Huic ego negaverim, has partes à Christo Ministris suis demandatas.

Ego verò affirmaverim cum Apostolo Paulo, qui 2. Cor. V. 14. 15. ait: *Judicamus, quod unus pro omnibus mortuus sit.* Si quis fidem à me exigat, jure ab eo petere possum, ut *sponsor mihi sit,* objectum fidei ad me quoque pertinere. Hoc ipsa rei natura postulat. Cæterùm nihil *dissimulo* eorum, quæ ad statum quæstionis de tentatis pertinent.

E

Evan-

Evangelii vox est : *Qui credit in Filium, habet vitam eternam; Qui non obediens est Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.*
Joh. III. 36.

Hæc vox docet, quænam sit Voluntas DEI consequens, quæ antecedentem supponit, expressam hæc voce Salvatoris : *Sic Deus dilexit mundum* (universum, qui mox in credentes & incredulos dispescitur v. 18.) *ut filium suum unigenitum daret, &c.*
 v. 16.

Utut ergò verissimum sit, solos electos ac redemptos & credere & salvari; non tamen Ministerii mihi concediti partes sunt, ut catechumenum meum certum reddam, cum esse è numero vel electorum vel redemptorum. Electio quidem & Redemptio sunt beneficia, quæ eis, qui eorum participes sunt, in hæc vitâ innotescunt. Tibi tua, mihi mea. Sed nec de meâ Tibi, nec de tuâ mihi tam certò constare potest, quàm mihi de meâ. Rectè dixerim: Credis, E. Electus es. Temeraria vox esset: Electus es, E. crede. Mea & electio & redemptio, ut §. 8. occupavi, mihi non innotescunt à priori, sed à posteriori.

Eadem rursus chordâ oberratur, *electos & redemptos* esse ejusdem latitudinis. Omnes electi sunt quidem redempti; Sed non vicissim; omnes redempti sunt electi. Quia etiam redempti perire possunt, & plures actu *percuti, quos Dominus mercatus est.*
 2. Petr. II. 1. Hæc duo beneficia malè confunduntur. De Electione alterius nemo quidem certus esse potest. Imò nec de suâ à priori. At nisi de Redemptione meâ & tuâ certus sis, *temeraria vox* erit, si mihi dicas: *Crede.* Quî enim credam in Christum Redemptorem, nisi constet, quòd etiam *meus* sit Redemptor? Sed pergit V. D.

Auditor persuasus de veritate Evangelii non debet dubitare, &, quod fides omnibus ad salutem adspirantibus necessaria, &, quod DEUS ejusvis preces humiles & pias, juxta promissiones suas toties repetitas, exaudicurus sit.

Rectè

Rectè! Si verò Auditor sit persuasus de absoluto electionis & reprobationis decreto, non dubitabit quidem, quòd *fides omnibus ad salutem aspirantibus sit necessaria*, dubitabit tamen, num fidem quoque sibi largiri velit DEUS? Neque dubitabit, quòd *Deus juxta promissiones suas toties repetitas exauditurus sit preces pias & humiles*, eorum scil. ad quos promissiones eæ pertinent; dubitabit interim, num ad se quoque pertineant, &, num DEUS Spiritum precum sibi quoque dare velit? Sed instat V. Cl.

Qui audit promissiones Evangelii: *Venite ad me omnes fatigati & onerati* Matth. 11, 28. *Eum, qui venit ad me, nequaquam ejecerim foras*, Joh. 6, 37. *Quisquis invocaverit nomen Domini, servabitur*, Rom. 10, 13. Certo potest & debet spem concipere, DEUM semini huic in corde suo benedicturum.

Audiunt hoc etiam reprobi, quotquot eorum publicum verbi Div. præconium externè audiunt, nec tamen illi possunt & debent spem inde concipere, DEUM semini huic in corde suo benedicturum; Quin potius Diabolus semen illud à cordibus eorum statim rursus aufert, ne fructum ferat Luc. VIII, 12. Quæ sequuntur *de Gratiâ DEI hominem sincerè salutis studiosum serenante*, in dubium non vocabo; Quod vero aut quomodo nebula ista aut nubecula dispelli queant, beneficio doctrinæ de gratiâ particulari, hæctenus non video.

S. XI.

Solum hoc verbum, *Christus pro omnibus mortuus est*, non liberat quidem ab omnibus scrupulis; sufficit interim, quod liberet tentatum ab illo scrupulo aut dubio, num Christus etiam pro ipso satisfecerit? Quòd verò *hominem ad scrupulos practivem scrupulis potius obruas*, nescio quomodo V. D. probare velit. Sequentia id certè non probant, quando addit:

Neque enim ex V. Cl. hypothesi is, pro quo Christus mortuus, neque is, qui jam reverà credit, vel electionis, vel perseverantiæ, vel salutis certus est.

Hæc tria quoad rem coincidunt. De singulis is, qui jam credit, omninò certus esse potest, juxta doctrinam Ecclesiæ nostræ, certitudine non quidem absolutâ, sed tamen ordinatâ & hypotheticâ: de quâ Paulus; *Scio, cui crediderim, & ceriò persuasus sum, quod potens sit custodire depositum meum in illum diem 2. Tim. 1. 12.* Hoc, pergit V. D. (& sine dubio pronomine hoc demonstrativo digitum intendit non ad immediatè præcedentia, quòd is, qui jam reverà credit, vel electionis vel perseverantiæ, vel salutis certus esse nequeat, sed ad remotius, quòd is, pro quo Christus mortuus est, salutis suæ non statim certus esse possit,)

Hoc volunt illa Spanhemii p. 1528. *At* (de Amyraldo loquitur) *poterit certum reddere ullum in tentatione & formidine illâ constitutum, Deum velle illi fidem largiri.* Scilicet, negat Spanhemius, Universalistas ulterius progredi posse, positâ enim Universalitate mortis Christi conditionatâ tentatum non reddi certum, Deum velle illi fidem largiri. Hinc conficit V. Cl. Ergò Particularistæ non possunt firmum tentatis subministrare solatium. Spanhemius negat, tentatum ab Universalistis solidius erigi posse, quàm à gratiæ particularis assertore; Ergò negat istius consolationem apud tentatum proficere.

Utraque consequentia V. D. videretur nulla. Sed neutra est mea. Hanc ego consequentiam necto, & in eâ etiamnum persisto: Si nemo Particularistarum ullum tentatum certum reddere potest, quòd Deus ipsi fidem largiri velit, sequitur, ex ipsorum doctrinâ nullum tentatis firmum solatium subministrari posse. Atqui prius est, fatente Spanhemio. Ergò. *Minorem* hanc non audent V. D. aperte & directe negare, sed ait: Spanhemium saltem hoc velle, quòd tentatus ab Universalistâ hypothetico solidius erigi non possit, quàm à gratiæ particularis assertore. Ita est; Sed simul fatetur idem, quòd neuter ullum tentatum certum reddere possit, Deum illi velle fidem largiri. Unde enim, *inquit*, illa certitudo? manente hypothefi de gratiâ

gratiâ efficaci particulari & de decreto multos prætereundi in fidei collatione. p. 1528. Verba sunt clarissima, & omninò stringunt Universalitas hypotheticos huic hypothesi inhærentes. Hinc ad *Majorem* propositionem se convertit V. Cl. & negat, promissionem illam, de largiendâ fide, tentato, ut erigatur, protinus esse proponendam

Num cuius, *inquit*, qui tentatus sibi aliis videtur, etiam non-credenti protinus suggerendum est, Deum velle illi largiri fidem? Unde de hoc mihi constat?

Eo ipso ergò fateretur V. D. cum Spanhemio suo, nullam certitudinem haberi posse, quòd Deus huic vel illi tentato fidem largiri velit, adeoque *Minorem* meam concedit, & porro ait:

Ubi Deus iussit id cuius nomine suo promiscuè promitti?

Lucæ XXIV. 47. Iussit Christus à morte resuscitatus *prædicare in nomine suo pœnitentiam & remissionem in omnes gentes*. Hæc universalis pœnitentiæ & remissionis peccatorum prædicatio quoad maximam hominum partem inefficax & frustranea foret, nisi cum promissione de largiendâ fide, quæ sola apprehendit remissionem peccatorum, conjuncta esset. In *omnes gentes* qui prædicare jubet pœnitentiam & remissionem peccatorum, omninò censendus est, etiam omnibus fidem dare velle. Qui vult finem, vult media. Unde & Act. V. 31. Deus filium suum exaltasse dicitur, non solum ad prædicandum, sed & ad *dandum pœnitentiam & remissionem peccatorum Israël* quidem, sed non exclusivè ad reliquas gentes, vi loci modò allegati. Sed pergit V. D.

Non credenti nomine DEI se id denunciare affirmantibus non credentem; Credenti eâ promissione non amplius est opus.

Si hoc est, promissio illa non saltem non *cuius*, sed *multi* erit annuncianda. Inter *credentes* enim & *non credentes* non datur medium. Jam verò, juxta V. Cl. credens eâ promissione non amplius opus habet. Si quis verò non-credenti eam nomine DEI se denunciare affirmeret, ei fides non est habenda.

Quid ergò superest, quam ut huic officium duntaxat credendi inculcetur; *Crede & respisce*. At nemo illud vel præstat, dicente *Spanhemio*, vel præstare potest, præter eum, cui Deus ejus præstandi gratiam fecit. Quod verò huic vel illi tentato hanc gratiam facere & vires credendi ipsamque fidem largiri velit, IN DUBIO relinquitur. Et hoc ipsum est, quod dixi, ex doctrinâ Particularistarum nullum tentatis firmum solatium subministrari posse; quippe quod per hoc dubium, quamdiu illud in animo hæret, incertum redditur. Quod Deus non-credenti fidem largiri velit, aut verum est, aut falsum; si prius, id ipsum affirmanti fides utique est habenda; Sin posterius, nemo non-credentium fidem unquam concipiet. De solatio pereuntibus & salvandis *communijam* dictum. Quos vero DEUS pascendos tibi concedidit, eos à te instrui vult, non solum de *miseria sua profunditate*, *Gratia DEL immensitate*, *meriti Christi sufficientiâ*, *fidei necessitate*, *communions cum Deo suavitate*, sed & de gratiæ & meriti universalitate, quòd Deus in omnibus fidem operari velit per Spiritum S. quòd ad sui communionem omnes serio invitet, & admittere velit &c. alias ad tantorum bonorum sitim aut nunquam aut frustrà eos incendes. *Beneficia hæc omninò etiam non-credentibus sunt destinata; Possessio autem eorum* & fruitio non nisi positâ conditione fidei *expectanda* est. Hæc verò conditio præstita non est impossibilis per DEL gratiam, quam *omnibus* vult largiri.

§. XII.

In Thesi XII. retrogreditur V. D. ad *Annot. p. 39.* & ex me quærit, *ex quibus vel concionibus, vel disputationibus, vel commentariis Reformatorum ista hauserim*, quæ l. c. iis tribuo, scilicet, quòd minister Ecclesiæ doctrinæ de absoluto decreto addictus, si ex animi sui sententia loqui velit, tentato dicere debeat: Ego quidem nescio, num sis electus, an reprobus? num



num Deus preces tuas exaudire velit, nec ne? num verbum suum in te efficax esse, & Spiritu suo comitari fidemque in te operari velit, nec ne? Tu vero fac periculum, tentare quid nocet? ipse eventus te docebit, ad quam hominum classem pertineas, & quid Deus de salute tua vel pernicie æterna pro absoluto suo beneplacito decreverit. Noli interim de bonitate Dei & clementia desperare ante finem vitæ tuæ, & ab omni gratia Teipsum prorsus excludere. Et addit; *Totum orbem candidum & tot bonos Viros, qui ex cætu D.D. Lutheranorum sacra nostra invisunt, nostrosque libros legunt, testes asciscimus.* At non opus est tot testibus, ubi rei ipsius testimonia adsunt. Non hausi ista, V. Cl. ex Reformatorum concionibus, vel disputationibus, vel commentariis, vel aliis institutionibus, sed ex ipso dogmate de absoluto decreto hoc per se fluere dico. Imprudentis esset, talia coram tentatis effari; Interim certum esse existimo, quod Minister Reformatus apud animum suum ita cogitet, aut cogitare necessum habeat, quando vim absoluti decreti probè expendit. Eo ipso enim, quia nescit, hunc vel illum tentatum esse electum, nescit quoque, num DEUS per verbum & Spiritum suum fidem in eo operari velit; quia non nisi in electis vult operari. &c. *Benè quidem sperare potest de omnibus fidem sinceram ore profitentibus & charitatis operibus eam ostendentibus.* Verùm de his non est sermo. Sed de iis, qui fidem se sentire & habere negant. Esto, quod & de his benè sperare possit, certus tamen nunquam erit, quod Deus illis fidem largiri velit. *Nihil huius Universalismus secum vehit.* Exemplum Ilosvani, doctrinâ Calvinî A. 1562. ad desperationem adacti expresso tempore, loco, nomine & officio Viri, quod V. D. desiderat, p. 24. præter SCHERTZERUM, quem Reformatis iniquissimum fuisse ait, & propterea pro idoneo & fide digno teste non agnoscit, alii quoque memorant. *Vid. Theologi Wittenb. im gründlichen Beweiß &c. p. 719.* Quare eam pro narratiunculâ aut calumniâ non habeo. Quamquam mihi perinde sit, si

ve

ve vera sit historia sive non. Fides sit penes illos autores, de quibus tantam levitatem ac detestandam mentiendi libidinem præsumere non minus nefas esse puto, ac si quis de Reformatis in genere dicere præsumat, quod fidem suam & spem salutis *arena superstruant*. *Petra* superstruunt, quotquot eorum in Christum verè credunt, & interno Spiritus S. testimonio de fide sua & salute certi sunt. Quales benè multos in cœtibus Reformatorum reperiri prorsus confido.

§. XIII.

Verba WENDELINI à me bonâ fide allegata esse, conscientia mihi testis est. Locum genuinum denuò inquirere nunc non vacat. Sed nec opus est. Quia verba ab ipso V. Cl. adducta prorsus eundem sensum fundunt. Qui enim apertè fatetur, *solidam consolationem, quæ mentem planè tranquillet, ex veris hypothesebus* (quas scilicet Particularistæ pro veris habent) *proficisci non posse ab hominibus*, is eo ipso agnoscit, hominem tentatum, in quo nullus est fidei sensus, insuperque cogitationes de reprobatione obstrepunt, *juxta hypotheses Particularistarum, hominum operâ firmo solatio* erigi non posse. Ipse V. D. arbiter sit, num hæc duo quoad sensum coincidunt, nec ne? Ego certè nullam video differentiam. Et, qui *DEI digitum expectandum* esse ait, in oppositione ad ministerium verbi, is eo ipso *DEI judicio* hominem *relinquit*, etsi de eo à desperationis præcipitio retrahendo laborare pergat. *Frustrâ* enim laboratur *absque digito DEI*, quem *expectandum* quidem esse ait Wendelinus, sed tanquam rem incertam atque dubiam, & cum formidine oppositi. Nescit enim Minister Particularismo addictus, num *DEUS digitum* suum, i. e. gratiam efficacem verbo prædicato hic & nunc jungere velit, nec ne? Cum juxtâ *wendelinum Exerc. LXXIV. §. 18.* (quæ verba nunc sponte sese oculis meis subjiciunt) *DEUS reprobis JUSTO suo JUDICIO fidem largiri nolit,*

CON-

consequenter nec verbo Ministri laborantis ad hunc effectum benedicere. Ita verò *Ministerium reconciliationis inefficax reddi* meritò dixi, nec *παρηγορησίαν* commisi.

2. Juxta Wendelinum, instat V. D. homo in tanto agone luctans, duplici Medico opus habet: Deo & homine. Explicat idem, quid uterque, ne tentatus succumbat, conferat. Scio, quæ V. Cl. in Deum religio est, in his nihil desiderabit.

Imò verò id desidero, V. D. quòd juxta D. D. Reformatos uterque hic Medicus, Deus & homo, non eadem semper intentione agat. Licet enim Minister intendat salutem tentati, fieri tamen potest, & fit sæpissimè, ut Deus eam minimè intendat; quo in casu certè Minister *in cassum* laborabit; quia salus hominis à solo DEO, tanquam supremo Archiatro, unicè pendet. Cæterùm juvat hic audire Spanhemium, simile de Medico contrà *Amyraldum* urgentem hoc modo: *Si Medicus proponat se daturum remedium contrà calculum omnibus & singulis hoc vel illud præstantibus, v. g. Si ad se veniant & extendant manum, & tamen innumeris voluntatem suam non proponat, & multis quidem eam proponat, sed inter quos nosset quamplurimos esse paralyticos, quos quidem curare posset, nollet tamen; Ipsius Medici promissio verissima esset, futurum ut omnes ad se euntes & manus extendentes curen- tur à calculo, nemo tamen Medico ipsi tribueret voluntatem seriam, paralyticos, quos nosset tales esse, à calculo curandi, sed eos duntaxat, quos vel nosset non esse paralyticos, vel quos prius à paralyysi curare vellet. Quòd quidem eo magis hic locum habet, quia Medicus ignorare potest, qui sint paralytici, & promiscuè remedium suum proponere, sine delectu personarum. Alia verò est ratio DEI, omnium directoris & omnium præscii. Hactenus Spanhemius. Quæso, nonne juxta doctrinam Particularistarum Deus similis erit tali Medico, qui omnibus quidem salutem promittit, si credant, & ad Christum veniant, & verò maximam hominum, quos externè ita vocat, partem à spiritali paralyysi non vult curare. Quis ergò hanc DEI promittentis voluntatem *seriam* dicat?*

§. XIV.

In Thesi XIV. & sequentibus METHODUM SPANHEMII consolandi tentatos, adversus *Annotationes nostras & desiderata vindicare* aggreditur V. D. & multa responderet, quæ, (quod pace V. Cl. dixerim) nihil ad rem faciunt, & nodum non solvunt. Ne verò nimiâ forsan prolixitate Lectori tædium creetur, missis ambagibus, quibus V. D. utitur, rem omnem in nervum contraham, & quoad fieri poterit, in compendium redigam. Præmittit p. 14.

Spanhemii methodum *non aliam, sed eandem* esse, quæ Wendelini.

Neque ego *aliam* esse dixi & diversam à methodo Wendelini, scio enim Particularistas eandem omnes tibi inflare; Sed *longè aliam* à nostrâ, de quâ in *Annot. precedenti* p. 40. dictum. Eo ipso autem, quia *eadem* est cum methodo Wendelini, non video, quomodo *opera præmium facere* potuerim, ostendendo *mediâ à Wendelino laudatâ ineptâ esse*; cum illa ipsa sint, quæ in Spanhemio ineptâ diximus, qui inter DD. Reformatos non sine suo merito ὁ πᾶν audit, quo elogio eum maculat V. D. p. 22. Ita verò ille contra Amyraldum procedit, ut dicat: *Frigidam planè & jejunam esse consolationem istam, quæ peratur à propositione absolute universalis: Christus pro omnibus hominibus mortuus est. Longè solidiorem esse hanc: Christus pro omnibus & singulis penitentibus & credentibus mortuus est. Examina jam conscientiam tuam. Si ea tibi testimonium præbet penitentia & fidei, habes certum argumentum, te ex eorum numero esse, pro quibus Christus mortuus est. Hæc rectè.* Sed pergit ad casum, de quo quæritur: *Si istos motus sanctos, penitentia scilicet & fidei, nondum sentis, quid tûm consilii? Noli desperare, nec desine Deum precari, instare auditione & meditatione verbi. Si non vocatus es horâ tertia vel sexta, vocari potes nonâ vel undecimâ. Redde DEO gratias, quod te in Ecclesiâ nasci voluerit, quod conscientiam tuam pulsare, & quod tibi verbi audiendi & hortationum sanctarum excipien-*

*cupiendarum copiam facere etiamnum velit. Hæc media sunt, per
 que se fidem operari velle spondit. In his ego nihil solidæ con-
 solationis me videre dixi, neque etiamnum video, & certus
 planè sum, tentatum per hoc erigi non posse, præsertim si sit
 morosus, & exceptionibus, quas doctrina de absoluto decreto
 ei suppeditat, inharere velit. Quamdiu enim fidem non sen-
 tit, imò contrarios motus se sentire sibi persuadet, adeoque
 reprobationis potius quàm electionis argumenta in se depre-
 hendit, nullum sive ex precibus, sive ex auditione & medi-
 tatione Verbi fructum certò sperare potest, cum per hæc qui-
 dem media DEUS fidem se operari velle sponderit, sed in
solis electis, juxta Reformatos. Unde ipse *Spanhemius* disertè
 ait, *DEUM innumeris nolle dare seriam respicientiam & fi-
 dem, sed eos præterisse ab æterno quoad gratiam utramque inge-
 nerantem. Exercit. de Gr. Univers. p. 1532.* Neque illud, *vocari
 potes*, si nondum vocatus es, animum ejus tranquillum reddet,
 sed in suspenso relinquet, quia fieri posse novit, ut nunquam
 vocetur, vocatione scilicet internâ & efficaci. A posse enim ad
 esse vel futurum esse, non valer consequentia. Quod vero id
 nunquam futurum sit, tanto probabilius ei videbitur, quanto
 magis de sui reprobatione, quàm electione persuasus est. Quis
 ergo non videt, hætenus omnia manere *in incerto*, & hanc me-
 thodum consolandi *tentatos* simillimam esse methodo mœdendi
 & curandi morbos per expectationem. Huc enim omnia ten-
 dunt, *expectandum* esse tentato, num DEUS eum efficaciter
 vocare velit horâ nonâ vel undecimâ, vel eum planè præterire,
 juxta æternum voluntatis suæ decretum, de quo ex solo *even-
 tu* constare possit. Ad hæc nihil respondet V. D. in Th. XIV.
 Sed nec in sequentibus sibi satis constare videtur. *Urget* :*

Nullum solatium ex eo hauriri posse, quod Christus pro omnibus, ad-
 eoque & pro me sit mortuus, nisi confidere possim, Spiritum S.
 qui fidem mihi conferat, mihi certò donandum. Prius, *ait*, mi-
 hi offers, de posteriori files. *Quin si fidem scias me possidere,*

metum ejus amittendæ mihi injicis, nimirum, Christum mihi promittis, sed sine illius justitiâ &c.

Verùm, adeò non fileo de posteriori, ut potius hoc ipsum quàm maximè desiderem in doctrinâ Reformatorum, quod tentatum dubium relinquat quoad hoc posterius, nimirum, quod Spiritus S. fidem ei conferre velit; Quia non vult conferre, nisi solis electis. Juxta nostram doctrinam omnino quilibet *confidere potest, Spiritum S. sibi certò donandum*, modò non resistat contumaciter & morosè, juxtà illud Christi, Luc. XI. 13. & Petri Act. II. 38. Neque metum diffidentia servilem amittendæ fidei credentibus injicio, sed solum cum Paulo, imò & cum V. D. p. 12. eos hortor: *Operamini salutem vestram cum timore ac tremore*. Philipp. II. 12. Et rursus: *Tu stas per fidem, noli superbire, sed time*. Hic metus salutaris est. Sed nec Christum promitto sine justitiâ. Abfit! Ipse enim nobis factus est justitiâ 1. Cor. I. 30. & est ipsa justitiâ nostra. Jerem. XXIII. 6. ut adeò, qui Christum promittit, justitiam quoque ejus simul promittat, fide scil. apprehendendam. Atque ita *unicum medium & remedium conscientia tranquillanda nobis quoque est Christus*, cum suo merito, ex intentione DEI ad omnes pertinente.

§. XV.

Porro diximus in *Annot. nostris p. 43.* in eo nos habere Spanhemium contententem, quòd Minister Reformatus hypothefi de gratiâ efficaci particulari & de decreto absoluto multos prætereundi in fidei collatione addictus nullum tentatum certum reddere possit, DEUM velle illi fidem largiri; Et hoc rectè is urget contra *Amyraldum*, qui hanc sententiam cum cæteris Reformatis communem habuit, quòd *Deus innumeris nolit dare seriam respicientiam & fidem, sed eos præterierit ab aeterno, quoad gratiam utramque ingenerantem, imò in iis nullam Spiritus sui vim explicare decreverit, sine quâ impossibile illis est, vel ad respicientiam & ad fidem pervenire, vel ad salutem*. P. 1532. Hoc ipsum

ipsum, diximus, illud esse, quod nos malè habet, & ex quo firmiter concludimus, quod ex doctrinâ Particularistarum nullum tentatis firmum solatium subministrari possit. p. 44. Cum enim omnis spes salutis à fide in Christum suspendatur, & verò, fatente Spanhemio, nullus tentatorum, stante hypothefi de gratiâ efficaci particulari cum annexis, certus reddi queat, quòd DEUS, qui solus potest, fidem ei largiri velit, hætenus quidem spes omnis vacillabit, & tentatus in ambiguo hærebit. Quid ad hoc. V. D ?

Inquies, ait, *Th. XV.* tentatum his nondum reddi certum, quod Deus ipsi per Spiritum S. largiri velit fidem. *B. 1.* Quidnì verò? Christus tentatos ad se blandè evocat &c.

Ita omninò est, tentatum his omnibus nondum certum reddi posse existimo, quòd DEUS ei per Spiritum S. fidem largiri velit. Et hoc ipsum agnoscit & fatetur Spanhemius, prout ex ipsius verbis jam sæpè allegatis constat. V. D. autem ad hanc objectionem ita respondet, ut Spanhemium suum, quem adversus *Annotationes* meas vindicare instituit, deserat, & aliam viam insistat. Quanquam enim & ipse §. XI. negarit, cuivis tentato certò promitti posse, quòd DEUS ei fidem largiri velit; nihilominus tamen ad objectionem, quam hoc loco sibi ipsi format, nunc respondet: *Quidnì verò tentatus certus reddi queat, quòd Deus ipsè per Spiritum S. largiri velit fidem?* Hoccine est defendere Spanhemium, qui contrarium in terminis aliquoties fatetur? Vid. *Exerc. de Gr. Univ.* p. 1523. 1526. 1528. 1532. 1535. &c. Sed mittamus tantisper Spanhemium. Et audiamus contrarium hoc in loco asserentem Cl. *Hottingerum*:

Christus ait *is*, tentatos ad se blande evocat, venientes gratiosè admittit, debiles solidè corroborat, vacuos liberaliter implet, imundos purgat, mortuos vivificat, diligit amantes se, amplectitur ad ipsum fugientes, semel sibi junctos custodit, defendit, eos nunquam deserit. Hæc promittit, hæc præstare potest & vult. Præ-

stitit a prima Evangelii promissione : præstat quotidie omnibus id obnixè & serio ab eo petentibus. Est petra salutis. Omnes à Patre sibi datos, ut eis vitam æternam donaret, conservat, ne uno quidem ex eis perdito. Si vel unum amitteret, reliquorum omnium salus dubia foret.

Ergone omnes tentati Christo à Patre dati sunt, ut ne unum quidem eorum amittat? Reclamat experientia. Multi enim tandem desperant, & in agone tentationum succumbunt, quos nemo dicet, aut tentatos non fuisse, aut Christo inamissibiliter datos. Ipse inter tentatos refert §. XVI. eos, qui *fide carent*. Si verò per tentatos unicè intelligantur ii, qui fidem ob ejus debilitatem tenuiter sentiunt, quos eo ipso fateri ais, *se credere*, quia fidem sentiunt, etsi tenuiter; Nulla, fateor, circà hos, aut exigua erit difficultas. Verùm de his mihi sermo non est, sed de iis, qui planè non sentiunt, & qui propterea non aliter tractandi veniunt, ac si fide carerent, sive dein habeant fidem, sive non. Pergit V. D.

2. Si tentatus ille Christi amore, gloriæ DEI studio, contentione salutis obtinendæ ita luctetur, sudet, æstuet, sive jam experiatur in se igniculum illum cœlestem, sive non; Unde hoc habet? non à carne, sed à Deo. Tales certè non demùm vocandi, sed vocationis cœlestis jam sunt participes.

Cur ergò Spanhemius vester tentato dicere suadet: *Vocari potes*. Et non potius; *jam es vocatus*. Cur jubet expectare horam nonam vel undecimam, & non potius eum recordari jubet, quid horâ tertiâ vel sextâ jam factum sit? Vides V. Cl. Te hâc in parte à Spanhemio *τῷ πῶν* recedere. *Amor Christi ex fide demùm nascitur, quemadmodum & gloriæ DEI studium*; Hoc itaq; que suppositum de se negabit tentatus, qui nullam in se fidem sentit, & dicet, amorem potius sui ipsius & utilitatis propriæ studium talis luctæ incentivum esse. Instas:

Qui delicias cœlestes & divitias Christi spirituales nunquam degustârunt, tanto earum desiderio teneri nequeunt.

At

At juxtà Te prædicatum illud, *de gustare delicias cælestes*, etiam in *noncredentes* & reprobos cadere potest. (Ita enim sine dubio verba *Exercit. Iren. de momento dissensus* &c. p. 53. in fine, sonare & à vitio Typographi, quod planè contrarium sensum lectori ingerit, emendari debent.) Ergò à *de gustatione* electis & reprobis *communi* ad plenam possessionem & *fruitionem* solis electis propriam n. v. c. Et quis negaverit, Satanam *impetum* quoque *facere in impios*, & *tela sua ignea assidue emittere* etiam in reprobos ut in desperationem ruant. Ex his igitur argumentum pro electione firmum peti non potest. Si verò hoc tentato persuaderi possit, ego quidem eum *turbare nolim*, ut jam semel dixi. Adhuc stat sententia. Et si quis ex ipsis *diutinis* & *extremis tentationibus certam sibi victoriam promittat*, huic potius gratulabimur de fide nullà amplius, tentatione extinguibili: At *tales sunt*, juxta V. D. p. 23. *qui se verè credere nòrunt*. De talibus omnem metum me deponere jubet. Sed de his nullum unquam metum animo concepi, sed de iis, qui se credere negant, & potius reprobationis *argumenta in se videre* ajunt. De his nondum omnem metum deponere possum, aut solitudinem, quomodo & hi sint erigendi, & vel ad fidem, vel ad sensum fidei perducendi. Id quod ad *Thesin ult. XXII.* per anticipationem hæc dictum volo. Reliqua, quæ in *Th. XV.* sequuntur, ad credentes, qui se credere nòrunt, & de *debilitate* solum fidei, non totali ejus defectu conqueruntur, pertinent.

§. XVI.

Spanhemius, postquam fassus est, ex hypothesei Particularistarum, nullum tentatum, qui pœnitentiam & fidem non sentit, certum reddi, Deum velle illi fidem largiri (quod sane fateri necesse minime habuisset, si quidem argumentum ex ipsa tentatione pro electione petitum pro firmo, & pro indicio vocationis jam factæ certissimo habuisset,) officium *duntaxat* pœnitent-

nitendi & credendi ei proponere jubet, & verò addit, *neminem illud præstare posse, cui Deus ejus præstandi gratiam non faciat, quam verò plerisque facere nolit.* Hoc modo tentatum firmo solatio privari & miserè fluctuantem destitui dixi in *Annor. p. 44.* Quale enim, quæso, solatium capere potest ex eo, quòd Deus officium ab ipso exigit præstitum forsan impossibile? Illuforium potius quàm solatium hoc esse dicit. Sed regerit V. D.

Tentato, qui fide caret, quandiu talis manet, Evangelium nihil promittit; Qui vero fidem ob ejus debilitatem tenuiter sentit, utique gratiæ DEI promissione erigendus est. Hujusmodi etiam ille est, qui queritur, se vim fidei pristinam in se experiri vel debilem vel nullam. Is eo ipso fatetur, se credere. Qui vero nihil hujus hactenus in se vel sentit, vel sentit, minime beneficii promissione recreandus, sed officii demonstratione excitandus est.

Promissiones Evangelii sunt vel *generales*, vel *Speciales*; Quæ prioris generis sunt, fidem antecedunt; aliàs qui fide caret, etiam principio generante fidei, quod est verbum promissionis, careret, & proinde nunquam fidem concipere posset. Fides enim apprehendit promissionem, & proinde hanc supponit. Speciales verò, quæ non nisi ad fideles pertinent, v. g. de gratiosâ inhabitatione Spiritus S. de dono perseverantiæ &c. fidem utique supponunt. De his verò h. l. non quæritur. Qui nullam de præfenti vim fidei in se experitur, eâdem facilitate pristinam fidem non veram, sed imaginariam solum fuisse, cogitare potest. Eo ipso enim, dum se de præfenti credere negat, negat etiam, se olim verè credidisse, quia fides ex sententiâ Reformatorum est donum inamissibile. Qui ergò fidem nunc non habet, nec olim habuisse potest. Præfens autem status in animo hominis semper prævalet priori. Denique *officii demonstratione excitari* non potest ad officii præstationem, cui Deus ejus præstandi gratiam non facit. Num verò huic vel illi tentato facere velit, dubium est. Plus ergò non relinquitur, quàm quòd *forè* excitari

citari possit. Imò nuda officii demonstratio ad Legem potius pertinet, quàm ad Evangelium, quod solum generandæ fidei principium est. Gal. III. 2. Equidem *communi consensu Protestantium Deus solus credendi & respiciendi gratiam confert*; quòd verò omnibus velit conferre Reformati negant, nos affirmamus.

§. XVII.

Porro in *Annot. p. 45.* dixi: Frustrà excitatur ad Pœnitentiam, in quo DEUS eam operari non vult; Frustrà proponitur gratia DEI in Christo iis, qui ab omni gratiâ salutarî & merito Christi ab æterno absolutè & simpliciter sunt exclusi. Ad hæc mea verba referit V. D.

1. Moses, qui Pharaonem: Ezechiel, & ipse Christus, qui Judæos ad pœnitentiam vocarunt, pro certo habuerunt, quod DEUS nolit in Auditoribus suis pœnitentiam operari. An eis frustra prædicarunt?

Confundit V. Cl. hæc duo, *velle operari, & actu operari*; Non sequitur, Moses ex revelatione Divinâ, & Christus per omniscientiam suam certò novit, quòd DEUS in Pharaone & in Judæis pœnitentiam nunquam actu sit *operaturus*, propter obstinatam eorum malitiam ac voluntariam resistantiam; Ergo noverunt, quòd *non velit* operari, quod falsum. Quos enim DEUS ad pœnitentiam vocat, illis etiam vult ipse dare pœnitentiam & remissionem peccatorum, licet non velit absolutè, sed sub conditione non-resistantiæ morosæ.

2. V. Cl. nobiscum agnoscit decretum reprobationis æternum, quo aliqui à gratia salutarî & vitâ æternâ exclusi sunt, & post quod non de quolibet auditorum Verbi individuo pro certo haberi potest, quòd DEUS pœnitentiam in eo operari velit. Ergò Ministri Auditores suos frustrà ad pœnitentiam excitant?

Discrimen inter nostram & Reformatorum sententiam de reprobatio-

batione manifestum est. Agnoscimus nos *Decretum reprobationis aeternum*, ad voluntatem consequentem pertinens, quo aliqui à vitâ æternâ exclusi sunt, sed non absolutum, verum in prævisione infidelitatis finalis fundatum. Hoc verò non obstat, quo minus DEUS in his quoque fidem operari velit, juxta voluntatem antecedentem, imò & quandoque fidem in iis actu operetur ad tempus; Licet de cætero infallibiliter certum sit, eos ob infidelitatem finalem aliquando damnatum iri. In Doctrinâ verò Reformatorum res longè aliter se habet.

3. Quis de quolibet individuo dixerit, pro certo se habere, quòd Dens in eo pœnitentiam operari velit? Christus discipulos in orbem mittens iussit eos *omni creatura* prædicare. Idèd de quolibet individuo pro certo habuerunt, DEUM fidem in eis operaturum?

Rursus confunduntur hæc duo, quòd *operari velit*, & quòd actu *operaturus sit*. Prius utique pro certo habuerunt de quolibet individuo, & ex hoc ipso fundamento Apostoli omni studio in id laborarunt, ut admonerent *omnem hominem*, & docerent *omnem hominem* in omni sapientiâ, & sisterent *omnem hominem* perfectum in Christo Jesu. Col. I. 28. Posterius non item.

§. XVIII.

Dixerat Spanhemius l. c. *subeat tentatus certus esse, omnes credentes in Christum servandos esse. Si assensum huic propositioni præbeat, verè addi potest, eum debere credere, Christum non tantùm pro aliis fidelibus mortuum esse, verùm etiam pro se. p. 1530.* Ego in *Annot. meis p. 45. seq.* regeffi: Quid juvat credere, *omnes credentes in Christum servandos esse*, de quo nemo tentatorum dubitat, imò quod & Diaboli credunt & contremiscunt? Quanquam enim peccator huic propositioni assensum præbeat, nondum tamen liquet, quomodo statim verè addi, & pro certo ac indubitato haberi possit, Christum etiam pro se mortuum esse; Per hoc enim nondum est fidelis, etiam si millies credat, omnes credentes in
Chri-

Christum servatum iri, nisi & ipse vera fiducia meritum Christi amplectatur sibi que appropriet, (hanc enim veræ fidei animam esse, nobiscum docent Reformati.) At quomodo illud sibi appropriare potest, quamdiu nescit, illud ad se quoque pertinere? Postular enim naturalis ordo, ut quis certus prius sit, beneficium meriti & mortis Christi ex intentione Dei ad SE pertinere, quam obedientiam fidei præstare, illudque SIBI fiducialiter appropriare possit; Quemadmodum nemo hæreditatem jure & cum fiducia adire potest, nisi qui in Testamento hæredem se scriptum esse noverit. Ita vero in eodem semper luto hærebit Tentatus, & beneficio hujus doctrinæ inde eluctari nunquam poterit. Hæc verba mea initialia V. Cl. adeo horrida visa sunt, ut exclamet *Th. XVIII.*

Quàm verò vellem, tantum Theologum ignitò hoc telo filios DEI non petiisse! &c. &c.

Quàm verò ego vellem, Theologum Theologo tantam impietatem, à quâ toto animo abhorreo, non imputâsse. *Ignita zela* Satanæ arma sunt, quibus filios DEI perit, non mea. Quin potius id ago, ut, quomodo scutum fidei his obverti debeat & possit, declarem. Non negabis, V. Cl. sat scio, ad fidem veram non sufficere, ut quis assensum præbeat huic propositioni, *omnes credentes in Christum servandos esse*; sed animam fidei salvificæ esse fiduciam meriti Christi applicationem. Quid ergò peccavi in hoc, quod dixi: Quid juvat hoc credere, nisi & ipse verâ fiduciâ meritum Christi amplectaris, tibi que appropries? Plus non dixi, neque negavi, (absit!) *idem tentato credendum esse*, quin potius de hoc nullum ei dubium esse affirmavi. Neque *hoc verbum ad Diabolum* pertinere unquam somnivi, Quin potius eum ad hanc veritatem, tanquam ad se minimè pertinentem, non minus contremiscere dixi, quàm ad illam, *quòd Deus sit*. Jac. II. 19. Sed nec illi, *qui teste conscientia sua & Spiritus S.* subsumere potest: Ego credo, & concludere: Ergò

salvabor, ullibi dubium movi, nec unquam movebo; hortabor tamen eum seriò, ut in fide ad finem usque vitæ perseverare studeat. Apoc. II. 10. III. 11. Quòd verò non de ordine solùm, quo veritates divinæ disponendæ sint, *controversia* inter nos *restet*, ex eo manifestum est, quia palmaria illa veritas, quòd *Christus pro omnibus sit mortuus*, ex ordine & censu veritatum Evangelicarum prorsus à Vobis extruditur. Ἰσπερ πρῶτον mihi tribuis, quod à vobis potiùs committi satis evidens est. Nonne enim fides objectum suum supponit, non infert? Hæc veritas, quòd *Christus pro me sit mortuus*, mihi prius innoscere debet, quam ei assensum non solùm præbere, sed & fiducialiter in eâ acquiescere queam. Hic est *naturalis* ille *ordo*, de quo in verbis *g. seq. à V. D.* allegatis dixi, quem nemo facilè in dubium vocabit; Hunc vos invertitis, & veritatem hanc credenti demum ex fide suâ innoscere vultis. *Christus pro me est mortuus*; Unde hoc tibi constat? Quia credo, eum pro me esse mortuum. Hic enim est vester Syllogismus practicus; Christus pro omnibus credentibus est mortuus; Ego credo; E. etiam pro me est mortuus. Hoc mihi *praposterum* videtur.

Pergit V. Cl. *quomodo tentatus appropriare sibi potest meritum Christi, quamdiu nescit, illud ad se pertinere.* Etiam hic in terminis luditur. Non potest meritum Christi sibi appropriare, qui nescit illud ad se pertinere, i. e. qui nescit se credere. Sed an is, qui scit se credere, nescit ad se pertinere promissionem Evangelii?

Abfit, ut in re seriâ in terminis etiam atque etiam ludam, quod puerile foret. Malè interpretaris verba mea; *Qui nescit ad se pertinere meritum Christi*, meo sensu non est idem cum eo, *qui nescit se credere*, sed loquor de adpertinentiâ (sit venia verbo) ratione *acquisitionis*, non *applicationis*; Qui nescit ad se pertinere meritum Christi, ratione *acquisitionis*, non potest illud sibi appropriare per modum individualis *applicationis*. Id quod simili illustro; Quemadmodum nemo hæreditatem jure & cum fiducia adire potest, nisi qui in testamento hæredem se scriptum esse

esse noverit : Ita nemo bona hæreditaria morte & sanguine Christi Testatoris parta sibi vindicare & appropriare potest, nisi prius certus sit, Christum pro se esse mortuum, & bona illi SIBI per Testamentum destinasse. Neque V. D. ubi ad hoc simile

§ XIX.

Respondet, negare potest, quòd certitudo illa prærequiratur ad hoc, ut quis de hæreditate consequenda securus esse queat.

Cui enim, *inquit*, testator & ipse, & per famulum & per Cancellarium denunciari curat, quod nomen ejus tabulis Testamenti inscriptum sit, is securus est de hæreditate consequendâ, utut ignoret, quot & quos habiturus sit cohæredes.

Ita est : Sed nisi hoc modo prius certus factus fuisset, quod nomen ejus tabulis Testamenti inscriptum sit, non potuisset esse securus. Adeoque *ordo naturalis*, quod volo, omninò *postulat*, ut quis certus prius reddatur, Christum pro se esse mortuum, quàm mortem & meritum Christi sibi fiducialiter appropriare possit. Hoc igitur agnoscis. Jam verò quæritur : Unde sit illa certitudo? Nos dicimus, eam hauriri ex propositione absolutè universalì; *Christus pro omnibus est mortuus*. Si enim pro *omnibus*; Ergo sine dubio etiam pro *me*. Atque ita argumentamur à *priori*. Juxta Vos autem certitudo quærenda est à *posteriori* hoc modo: *Novi in corde meo*, me credere; Ergò Christus pro *me* mortuus est, quia pro *omnibus credentibus* est mortuus. Esto, quòd hæc methodus locum habeat in iis, qui *nòrunt in corde suo*, se credere, adeoque fidem in se sentiunt, minimè tamen procedit in *tentatis*, de quibus hîc sermo est, utpote qui nesciunt se credere; Multò minus procedet in iis, qui fide carent, & ad hanc per vocem Evangelii demùm adducendi sunt.

§. XX.

In *Thesi* XX. Comparisonem instituit V. Cl. inter utramque methodum, & inter alia ait :

DD. Lutherani suas propositiones: *DEUS vult omnium misereri; Christus pro omnibus mortuus est; Spiritus S. per verbum Evangelii omnes & singulos vocat, & quantum in ipso est, vult operari &c.* eo sensu, quem eis tribuunt, in S. literis ostendere non possunt.

Dum de *sensu* propositionum illarum V. D. hoc negat, agnosce-
re videtur, eas quoad *verba* in S. literis legi. Et ita omnino est.
Jam verò nos verbis apertis & clarissimis alium sensum non
tribuimus, quàm ipsa ex se fundunt. Dissidentes verò per
suas glossas, quibus hæc omnia ad solos credentes & electos
restringunt, Textui vim inferre nobis videntur.

Reformatorum sententiæ (limitatè) universales sunt: *Cujus DEUS mi-
sereri vult, is salvabitur. Omnis, pro quo Christus est mortuus, sal-
vabitur. In quocunque Spiritus S. quantum in ipso est, fidem opera-
ri vult, is credit.*

Hæc verò simpliciter & absolutè veræ non sunt, sed sub certâ
ratio & conditione: *Cujus Deus misereri vult, is salvabitur, SI
misericordiam in Christo verâ fide amplectatur. Pro quo Chri-
stus est mortuus, salvabitur, SI credat & in fide ad finem usque
vitæ perseveret. In quocunque Spiritus S. quantum in ipso est, fi-
dem operari vult, is credit, SI quidem gratiosæ operationi Spiri-
tus S. obicem non ponat; Adeoque hæc ipsæ potius Reformato-
rum sententiæ laborant defectu, non nostræ, dum absolutè pro-
ponuntur, & verò conditionatè solùm veræ sunt,*

Lutheranus dicere deberet: Spiritus S. operari, quantum in se est, fi-
dem in te vult, SI obicem non ponas.

Quin potius ita dicimus & dicere debemus: Spiritus S. quidem,
quantum in se est, in TE fidem vult operari, imò & actu opera-
bitur, SI obicem non ponas. Ab hâc enim conditione suspen-
ditur non ipsa volitio, sed ejus actualis executio. Spiritus S.
absolutè vult in omnibus fidem operari per verbum; Sed non
vult in omnibus actu operari *absolutè*, sed positâ conditione
non-

non - resistantiæ voluntariæ ac malitiosæ. Hæc duo multum differunt.

De propositionis : *quisquis credit, salvabitur*, constantiâ nemo dubitare debet.

Sed & hæc conditionem perseverantiæ includit, quæ non nostra est glossa, sed ipsius Christi dicentis : *Quisquis perseveraverit usque ad finem, salvabitur*, Matth. XXIV. 13. Conf. Apoc. II. 10. Ebr. III. 6-14. VI. 11. *Credentes jam habent vitam æternam*, & retinent quoque, quamdiu tales manent; Quando autem naufragium fidei & bonæ conscientia faciunt, quod fieri posse liquet ex 1. Tim. I. 19. etiam vita æterna in iis non manet. 1. Joh. III. 15.

Nihil est, quod justum, ut ne vitam consequatur, vel impedire, vel vitam ei destinatam, vel jus in eam eripere queat.

Nisi forte in peccata mortalia sponte suâ relabatur, & seipsum hoc jure privet. Ezech. XXXIII. 12. Apostasiam à fide qui pro impossibili habent, non tam plerophoriæ fidei, quam securitati carnali, licet præter intentionem suam, patrocinantur. De quo alibi. *Inutile est & non-necessarium ire per ambages*; Nos verò rectâ viâ incedimus, & Christum sequimur in verbo suo nobis prælucentem, qui est *via, veritas & vita*. Joh. XIV. 6.

§. XXI.

Tandem, ubi ad ultima verba *Spanhemii* devenitur, V. D. non solum vitium Typographicum in *Annot.* meis circa numerum paginæ allegatæ, (quæ est 1537. non 1536.) corrigit, sed & truncata ea abs me allegari conqueritur. Integra ita habent:

Non existimandum est, ministrum verbi ulli mortalium formidinem omnem, scrupulos & dubitationes omnes eximere posse. Id enim operis *interni* duntaxat est, *externi* non item. His verbis, ait V. D. me absque dubio spontè accessurum.

Fateor, *scrupulos omnes tentatis eximere* solus DEUS potest; Non est hoc humanæ opis. Interim opus *internum & externum* male

lè à Spanhemio sejunguntur, quæ duo potius conjungi debent; DEUS enim opus suum *internum* peragit, per opus *externum* Ministri, & per Verbum ab hoc prædicatum. *Fanaticus dixerit, Deum in tali casu hominum operâ uti nolle*, uti verba V. D. fontant p. 13. Hinc, quod DEUS facit per Ministrum suum, huic non minus rectè tribuitur quàm ipsi DEO, salvo tamen discrimine causæ principalis & ministerialis. Latet verò sub illa distinctione Spanhemii *ὑπαὶν* &, fundatur ea in hypothesi vocationis *interne*, quæ sola efficax: & *externæ*, quæ saltem plerunque inefficax sit; Nec non in falso supposito de *efficaciâ* Verbi ad solos electos *restrictâ*; Ut &, de potestate ministri nudè *significativâ*, non *effectivâ*, seu, quod DEUS cum Ministro operetur, non per Ministrum. Quibus omnibus accedere non possum.

§. XXII.

Id unum restat circa *Th. XXII.* ad quam supra per anticipationem jam est responsum, Verbis: *Qui sensu peccati tangitur, DEI misericordiam anhelat*, porro liberaliter addi à V. D. etiam sequentia: *Qui Christo adhæret, ejus sanguine se mundat, vitam & Spiritum ejus in se experitur.* Talem in se *electionis argumenta videre* indubium est; Si verò in prioribus verbis subsistatur, adhuc vereor, ne ad hanc qualemcunque consolationem excipiat unus alterve, multos sensu peccati tactos & misericordiam DEI, sed frustra, anhelantes tandem penitus desperasse, & in exitii æterni barathrum præcipites actos esse. &c.

Atque ita hæctenus à me dicta evincunt, *nodum* hunc nondum solutum, *scrupulum* nondum exemptum, *scopulum* nondum remotum esse. Quare DEUM vicissim veneror atque rogo, ut ad *præjudicium* V. Cl. *eximendum*, & veritatem in Verbo suo revelatam porro confirmandam atque illustrandam hæc pagellæ aliquid conferant. De reliquis, quæ V. Cl. *Annotationibus* meis opposuit in alterâ *Exerc. Irenicâ de Momento dissensus Protestantium in dogmate de Prædestinatione & gratiâ* &c. B. C. D. proximè.

Appendicis loco placet hæc subjungere, in gratiam
cum primis Studioforum, quæ de eodem argumento,

scilicet de

CONSOLATIONE TENTATI,

Jo. GERHARDUS in *Dispp. Theol. P. II. Diss. 3. 4.* (mentionem
quoque *Petri Ilorvani* incidenter facta) disserit sequen-
tem in modum:

Absolutum reprobationis decretum perpetuæ *dubitationis* fontem
esse ac veræ consolationis Evangelicæ fundamentum convellere,
sic ostendimus. Sit aliquis qui dubitet, *num sit electus*? quam
tentationem *Calvinus* Libr. III. Instit. cap. 24. §. 4. fatetur esse
omnium periculosissimam, quomodo is erigendus? Respondent Adversarii ex
2. Cor. XIII. 5. *Vos ipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate, annon cognos-*
scitis vos ipsos, quia Iesus Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis. & ex
1. Joh. V. 10. *Qui credit in Filium DEI, habet testimonium in se ipso;* unde col-
ligunt, eum, qui cernit in se prædestinationis effecta, h. e. qui videt se effica-
citer vocatum, qui sentit se justificatum, donatum fide, atque studio bono-
rum operum, certissime sibi persuadere debere, se esse ex numero prædesti-
natorum. Non improbamus, certitudinem Electionis ex interno fidei tes-
timonio & pietatis studio accersere, cum Paulus 2. Cor. XIII. 5. & Divus
Petrus 2. *Epist. 1. 10.* eo diserte nos remittant, interim tamen addimus, præ-
supposito absoluto reprobationis decreto, hoc esse insufficientis. Quid enim
fiet, si tentatus fidem actu non sentiat? quod in gravibus tentationum pa-
roxysmis sapiens contingere res ipsa testatur. Is sic procedet, juxta Calvi-
nianæ doctrinæ hypotheses: *Fidem actu non sentio; Ergo nec habeo. Fidem*
non habeo à Deo datam; Ergo is dare noluit. Quod autem noluit in tempore,
ab æterno dare noluit; Ergo etiam ab æterno me reprobavit, & quidem absoluto
ac invariabili decreto. Quomodo igitur talis homo erigendus? Respondet
Zanchius L. V. de Nat. DEI, C. II. p. 648. *Quisque tenetur credere, se ad*
salutem æternam in Christo esse electum, neminem hic excipimus, ne reprobos
quidem. At hoc frivolum est. Nemo tenetur credere quod falsum est, at
omnes etiam reprobos electos esse, juxta ipsummet *Zanchium*, falsum est.
Ergo id nemo tenetur credere. Aut deserendum absolutæ reprobationis
μορολόγειον, aut tentati animus ejus intuitu ita conturbabitur, ut nullam
consolationem videre vel invenire possit; Unde quidam ex Adversariis di-
fertis verbis fatentur, *reproborum animis nullam consolationem instillari posse,*

H

ci. ma

cum non possint Evangelio credere. Piscator de Prædest. th. 85. Comprobat hoc triste exemplum PETRI ILOSANI Scholæ Cyngerinæ in Ungaria Rectoris, qui, referente Georgio Majore in *Comm. 2. Tim. II. fol. 1109.* & *Esaiæ Silberfchlagio Conc. VI. de prædest. lit. P.* juxta externum hominum aspectum ac judicium sanctam vitam egit, sed postmodum Anno 62. die 22. Julii se ipsum suspendit, relicto testamenti loco in schedula annotatis hisce verbis: *Calvini sententiam, item Augustini, quisque teneat; De me intelligo, quemlibet ante uterum matris prædestinatum vel ad vitam, vel ad mortem, quod nunquam quisquam nisi in hora mortis cognoscere potest. Ego sum ex numero damnatorum; Ergo Deo nunquam adscribi possum.* Hoc certo credatis rectum esse, quod Paulus Rom. 9. scribit: *Misereor, cujus misereor. Damnatus ab initio damnatus, & justificatus ab initio justificatus. Neminem per externa bona opera salvat, aut condemnat Deus, sunt occultiores cause. Vado igitur æternum dedecus Patrie, sui figmentum & vas formatum in ignominiam. Nunc omnium peccatorum me aggressa est magnitudo, nunc horror Diaboli malus. Discedo igitur ad lacus infernales. Deo vos commendo, cujus misericordia mihi negata est. Occultior est autem hujus rei causa, quam ut humana ratio perspicere possit. Sed nec illi, qui fidem sentiunt, salvæ doctrinæ Calvinianæ hypothefibus, ex sensu illo fidei certò statuere possunt, se esse in numero electorum. Etsi, inquit Calvinus L. III. Inst. C. 2. §. 11. in fidem non illuminantur, nec Evangelii efficaciam vere sentiunt, nisi qui præordinati sunt ad salutem, experientia tamen ostendit, reprobos simili fere sensu atque electos affici, ut ne suo quidem judicio quicquam ab electis differant. Et postea: *Nihil obstat, quo minus præsentis gratiæ sue sensu, qui postea evanescit, Deus aliquot (ex reprobis) illustret.* Stante ea hypothefi, ex sensu præsentis gratiæ & fidei non potest quis certo statuere, se esse in numero illorum, quos absolute electos statuunt, semper enim dubitare cogitur, an fides illa, quam in sese sentit, sit vera electorum fides. Neque hic recurri potest ad effecta fidei, quasi ex illis quis certus esse possit, se habere veram illam Electorum fidem, quia Adversarii dicunt, omnia illa in reprobis quandocunque locum habere secundum ipsorum reproborum & aliorum opinionem; Quomodo igitur ex illis juxta Adversarios certi quid de vera electorum fide colligi potest? De leprosis à Christo Luc. 17. v. 14. sanatis ac postea ab ipso deficientibus: *Apparet, inquit Calvinus, omnes fide quadam fuisse imbutos, non solum quia Christi opem implorant, sed magistri titulo eum insigniunt.* Porro ex animo non fide sic locutus esse, ex promiæ eorum obedientia colligitur, quamvis enim foetidam adhuc scabiem in carne sua conspiciant, simul tamen ac jussi sunt se ostendere Sacerdotibus non detrectant, adde, quod nunquam nisi fidei impulsu profecti essent ad Sacerdotes &c. Hæc fuere signa*

signa fidei satis evidētia, confugiunt ad Christum, opem ipsius implorant, certi sunt ipsum & velle & posse auxiliari, promte obediunt ejus præcepto, & tamen novem ex illis non habuere veram electorum fidem. Quid vero signorum ac proprietatum in sua fide inveniet tentatus, per quæ hanc leproforum fidem antecellat, & ab ea specificè distinguatur? nihil omnino, nisi solam perseverantiam, quæ cum ex hypothesi Calvinianorum itidem ab absoluto & abscondito Electionis decreto dependeat, in quo tandem conscientia tentati conquiescet? Ex solo igitur fidei sensu de electionis certitudine non potest pronunciari, si ipsum fidei fundamentum, benefica scilicet Dei omnium hominum salutem serio expetentis voluntas, meriti Christi & promissionum Evangelicarum universalitas, per signum absolutæ reprobationis negetur. Deducendus autem est tentatus ad promissiones Evangelii, quæ testantur, Christum esse totius generis humani redemptorem, ac beneficia ejus omnibus à DEO offerri fide apprehendenda, eademque obsequari, confirmari, & applicari usu Sacramentorum. Quod si dicat tentatus, *se non sentire fidem, Ergo nec habere, Ergo nec ad se pertinere gratiam Dei & meritum Christi, Ergo nec electum esse*, respondendum ipsi ex verbo, Deum velle, ut credat, ac beneficia Filii sibi applicet, atque eo fine in verbo Evangelii gratiam suam, meritumq; Christum ipsi offerre, idque Sacramentorum sigillo confirmare; Promissiones gratiæ non esse absoluto quodam decreto reprobatorio ad certos homines restrictas, quin imò Sacramenta esse evidens testimonium, quod ad ipsum in specie illa pertineant, cum susceperit baptismum, qui est *stipulatio bona conscientie erga Deum* 1. Petri III, 21. Cum in S. Cæna corpus & sanguinem Christi accipiat, illud scilicet corpus, quod in mortem pro peccatis nostris traditum, illum sanguinem, qui pro peccatis nostris in ara crucis effusus; cum in absolutione à peccatorum nexibus solutus ac liber pronuncietur. Adversarii vero non possunt vacillantem tentati hominis fidem eo modo erigere. Negant enim promissionem gratiæ esse universalem, dum ad quosdam duntaxat absoluto decreto electos eam pertinere statuunt; negant verbum Evangelii voluntate Dei antecedente eo fine omnibus offerri, ut convertantur & salventur, dum illis, quos absoluto decreto reprobatos fingunt, eo fine illud offerri statuunt, ut magis indurentur, & eorum damnatio augeatur; negant per baptismum omnes infantes regenerari, cum in eorum numero sint longè plurimi absoluto decreto rejecti; negant omnes ad S. Cænam accedentes corpus & sanguinem Christi accipere, cum pro illis, quos absoluto decreto reprobatos fingunt, corpus Christi non sit in mortem traditum, nec sanguis pro illis in ara crucis effusus. Quo ipsa catenam non auream, sed ferream; non

salutis & consolationis, sed exitialis desperationis absolutæ reprobationis defensores fabricant. Et paulo post: Ex hypothesi absoluti decreti provenit, quod Reformati *vocationem per verbum Evangelii negant esse universalem*. Nos concedimus vocationem fieri particulatè culpâ hominum, primò, quatenus quidam Epicuræo contemptu verbum aspernantur, quidam etiam persequuntur, & violenter à se repellunt: deinde, quatenus culpa majorum amissum verbum non semper in omnibus ubique locis ac gentibus prædicatur; Negamus vero particularitatem illam vocationis ex absoluto quodam reprobationis decreto provenire, negamus etiam vocationem ex tali quodam absoluto decreto apud homines inefficacem reddi, sed unice in hominibus causam & culpam quaerendam esse dicimus. Et hoc loco illud urgemus, quod per istam Adversariorum hypothesin *nervi consolationis* salutaris incidantur. Si enim vocatio sensu Calviniano particularis statuitur, quod scilicet absoluto Dei decreto quidam sint rejecti, quos Deus absolute nolit converti ac salvari, licet verbum illis offeratur, utique ex vocatione non potest colligi, quod gratia Dei & meritum Christi ad illos omnes pertineat, quibus in verbo offertur, semper enim dubitare cogitur vocatus, an sit ex illorum absolute reprobatorum numero, quos Deus absolute nolit converti ac salvari. Huc pertinet 1.) quod distinguunt *inter vocationem internam & externam, inter vocationem efficacem & inefficacem*; dicunt exterius multos vocari per verbum, quos tamen interna & efficaci vocatione Deus nolit dignari propterea, quod sint absoluto decreto rejecti. Hac distinctione sensu Calviniano accepta itidem labefactantur *Evangelicæ consolationis fundamenta*. Si enim ex vocatione externa non potest certi quid statui de voluntate Dei, (quod serio in illis, quos exterius vocat, per Spiritum S. interius fidem & conversionem efficere velit, nisi scil. ipsimet Spiritui S. resistant) utique vocatio per verbum Evangelii nullam amplius suppedinare poterit firmam consolationem. Si causa hujus rei, quod vocatio non est in omnium cordibus efficax, in absoluto reprobationis decreto quaritur ac statuitur, nemo certus esse poterit, se efficaciter & interne à Deo vocatum iri. 2.) Quod *dolo bono & simulatione sancta* fieri dicunt, ut offeratur quibusdam in verbo exterius Dei gratia, quos tamen juxta voluntatem absconditam & occultam ad æternum exitium absoluto odio reprobaverit. Beza p. 2. *resp. ad Colloq. Mompelg. p. 174. Piscator in resp. Apologet. ad Vorstium p. 201.* At præterquam quod hac ratione Deo in negotio salutis nobiscum agenti hypocrisis tribuitur, quasi exterius promissionibus benignissimis testetur se hominibus bene velle, quos occulta & abscondita voluntate ex absoluto odio ad exitium destinaverit, denuo *consolationis fundamenta* hoc modo labefactan-

factantur. Si enim dolo quodam bono & simulatione sancta in negotio salutis Deus utitur, nulla ex verbo potest peti certitudo de seria & benevola Dei voluntate. 3.) Quod *promissiones Evangelii negant esse universales*, dum statuunt, ad illos solum pertinere Evangelii promissiones, qui sunt absoluto Dei decreto electi, ad reliquos vero non pertinere, licet exterius illis offerantur. Nec possunt salvis suis hypothesibus aliter statuere. Si enim Christus pro solis absolute electis mortuus est, utique promissiones Evangelii, in quibus beneficia mortis Christi hominibus offeruntur, ad illos solos absolute electos ex Dei intentione & voluntate pertinent. Nos contra statuimus, Deum serio velle, ut omnes convertantur & oblata in promissionibus Evangelicis Christi beneficia amplectantur, serio etiam velle Deum per verbum Evangelii in cordibus hominum fidem accendere, sed multos ex illis Spiritui S. pertinaciter resistere, atque hac ratione se ipsos fructu promissionum Evangelicarum privare. At si promissiones Evangelii (sensu Calviniano) particulares statuuntur, quod sc. sint quidam absoluto Dei decreto reiecti, ad quos non pertineant Evangelii beneficia, licet exterius eis offerantur, labefactatur *fundamentum consolationis* ex promissionibus Evangelii haurientibus; Semper enim dubitare cogor, an sim in numero illorum absolute electorum, & per consequens an ad me pertineant Evangelii promissiones? Regerit Pareus in *Iren. c. 24. Art. VI. p. 142. Promissiones gratia sunt universales, pertinentque ad omnes, quoad predicationem, invitationem & mandatum credendi, ad solos vero credentes quoad applicationem, efficaciam & fructum, quia soli credentes fide sibi eas applicant & fructum earum percipiunt*. Resp. Hac recte quidem dicuntur, sed à Pareo male intelliguntur. Stante enim absoluto reprobationis decreto non potest aliter statuere, quam prædicationem, invitationem & mandatum credendi accipiendum esse duntaxat de Voluntate signi & revelata, interim voluntate beneplaciti & abscondita Deum à fide & conversione, à salute & mediis salutis quosdam absolute exclusisse; Item quoad externam Vocationem universales esse promissiones gratiæ, interim vero quoad internam vocationem absoluto Dei decreto esse particulares: Item causam hujus rei primam & summam, quod paucis quibusdam promissiones Evangelii applicantur, quærendam in absoluto Dei decreto, quo ab æterno constituerit illis salutem & media salutis denegare. 4.) Quod ministerium *externum* ab *interno* separant statuentes, *externo* quidem ministerio reprobis beneficia illa offerri, sed *interno* Spiritus S. ministerium ad illos nullâ ratione pertinere. Ex quibus omnibus tandem concludit *Disp. IV. §. 11. Doctrinam Calvinianorum de absoluto reprobationis decreto fundamentum consolationis in Evangelio de Christo nobis propositæ evertere* Sed

Reformati vicissim accusationem nobis de fundamento Evangelicæ consolationis subtrito intentant; Et in specie quidem, quod per doctrinam de Apostasia Sanctorum certitudinem salutis labefactemus. Unde *Casmanus* in *Luctu Peccatoris C. XII.* p. 326. & 399. argumenta nostra, quibus probamus veram fidem per peccata contra conscientiam amitti, & Spiritum S. excuti posse, Diabolo tentatori tribuit, ut illis salutis certitudinem in piorum cordibus labefaciet. Sed breviter respondeo, Spiritus S. nusquam in Scripturis docet talem absolutam electionis & salutis certitudinem, quod semel renati & Spiritu S. donati non possint ulla ratione amittere fidem & Spiritus S. inhabitationem, etiamsi ruant in scelera contra conscientiam, & carnis concupiscentiis secure indulgeant, frustra igitur talis consolatio in Scripturis quaritur. Neque tamen negata tali Electionis absoluta certitudine protinus omnis certitudo tollitur, & Pontificia dubitatio introducit. Distinguendum enim inter certitudinem Spiritus & securitatem carnis; inter certitudinem limitatam in verbo manifestatam, & certitudinem absolutam, in absoluto quodam & abscondito Electionis decreto fundatam. Priorem asserimus, posteriorem negamus. Filii familias certus est de Paterna hæreditate, idem tamen sua culpa potest hæreditate iterum excidere: Nimirum certos nos fecit Deus de salute benignissimis suis promissionibus, de sua bonitate, fidelitate, veracitate ac omnipotentia, Joh. X. 28. Rem. XI. 29. 1. Cor. X. 13. Phil. I. 6. c. II. 73. 2. Tim. I. 12. Nequaquam vero voluit nos esse carnaliter securos ac filialis timoris expertes. Promissiones Dei infallibiles ac certæ liberant nos à dubitatione & incertitudine; sed adhortationes & comminationes ipsius revocant nos à carnali securitate. Ita ergo de salute sumus fide ac Spiritu certi, ut non sumus carnaliter securi; ideo Apostolus utrumque conjungit Phil. II. 12. cum *timore ac tremore* operemini salutem vestram v. 13. Deus enim est, qui operatur in vobis & *περὶ ἡλίου & περὶ ἐσσην*. Renati & iustificati non statim ita confirmantur in bono sicut angeli sancti, nec in eum transferuntur statim, in quo sint à Dabeh, mundi & carnis oppugnationibus, adeoque ab omni accepta beneficia spiritalia iterum amittendi periculo, penitus immunes, sed circumferunt reliquias vetustatis carnis, quæ est seductiones fomes; versantur in mundo, seductionis domo, potentem habent adversarium, qui est seductionis pater, ac saluti ipsorum strenue insidiatur, ideo cum firma cordis fiducia ex Spiritu profecta conjunctus adhuc esse debet in cordibus ipsorum timor filialis, propterea quod sciant, *se thesaurum suum*, quam diu in hac vita constituti sunt, *portare in vasculis fictilibus, ut ἡραεβολὴ τῆς δυνάμεως* virtutis illius, qua ad salutem conservantur, *fit Dei & non ex ipsis* 2. Cor. IV. 7. Ex fide igitur statuunt ac certo statuunt, se esse in Dei gratia & salutis in Christo participes, interim tamen perseverent in auditu ac pia meditatione verbi, in usu salutari Sacramentorum, quæ sunt media ad fidem alendam & conservandam divinitus insituta, seris gemitibus petant donum perseverantiæ & abjecta omni carnali securitate vivant in sincero ac filiali Dei timore, repugnent concupiscentiis carnis & spiritu actiones ejus mortificent, si præoccupentur lapsu quodam, si ad avia declinent, non perseverent in cursu peccatorum, sed statim per poenitentiam revertant, & in viam redeant, seque divinitus per S. S. in pietatis studio regi petant; Ita de salute sua poterunt esse certi, nec tamen carnaliter securi. Nec est, quod urgeas, conditionem perseverantiæ esse incertam, proinde etiam ipsam salutem & electionem. Ipsa enim promissio perseverantiæ renatis & vere credentibus in se ac per se satis certa est, cum niantur Dei bonitate, fidelitate, veracitate & omnipotentia; Firma igitur fide promissiones Dei amplecti, ac donum perseverantiæ fiducialiter à Deo petere, ac de exauditione omnino certi esse possumus, si modo media fidei alendæ & conservandæ secure non negligamus &c.

Umg. VI. 2^o

= [Dissertationes
theol. ^{Vol.} 49.]


ULB Halle

3

004 917 588







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

L. D. B. V.

VINDICIÆ NOTATIONUM IRENICARUM,

AMICA ^{SIVE} RESPONSIO

AD

DISPOSITIONEM THEOLOGICAM
VIRI CLARISSIMI

J. JACOBI HOTTINGERI,
PROFESSORIS THEOLOGI TIGURINI,

De

COLATIONE EVANGELICA
IN TENTATIONIBUS,

SOLIDIOR EX UNIVERSALI, AN EX PARTICULARI
GRATIA HAURIATUR?

Quam

DEO CLEMENTER JUVANTE
P R A E S I D E

OFREDO HOFFMANNO,

DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
STIPENDII THEOL. SUPERATTENDENTE, FACULTATIS
THEOL. ET ECCLESIAE DECANO,

Die 26. 28. Maji MDCCXXIII.

Examini publico submitunt
RESPONDENTES

JANNES CHRISTOPHORUS VOLZ, *Sindelfingensis.*

IPPUS DAVIDES FEHLEISEN, *Nürtingensis.*

JANNES ADAMUS WÆCCERLIN, *Uracensis.*

RGIIUS FRIDERICUS SCHLOTTERBECK, *Tubingensis.*

SS. Theologiae Studiosi in Ducali Stipendio.

TUBINGÆ, Literis HIABI. FRANCKII.